



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Quæst. 4. De scientia futuribilium .

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

Obj. 3. Si vera est nostra sententia, duplex erit in Deo creaturarum cognitio, quarum una erit perfectior altera. Absurdum conf. Ergo, &c. *R.* dist. sequel. maj. Duplex erit in Deo creaturarum cognitio, quarum una erit altera perfectior ex parte objecti, *C.* seq. maj. Quarum una erit perfectior altera ex parte actus, *N.* seq. maj. Itaque secundum nos duplex est in Deo creaturarum cognitio, quarum una cognoscuntur mediare & indirecte in essentia divina, ut perfecte & comprehensive cognita; & altera cognoscuntur directe in se ipsis, independenter ab omni medio. Prima habet pro objecto primario essentiam divinam, & pro secundario creaturas: secunda verò creaturas pro objecto primario, & ea, quæ in creaturis cognitis cognosci possunt, pro secundario. Unde manifestum est objectum primum primæ cognitionis esse aliquid melius, quàm objectum primum secundæ cognitionis, & sic cognitionem primam esse aliquid secunda malius ex parte objecti. In quo non est inconveniens. At neutra est altera perfectior ex parte actus, quia neuter modus tendendi in creaturas perfectior est altero. Tantæ enim virtutis est, Deum omnia alia à se cognoscere directe & immediate, hoc est, independenter ab omni medio, quantæ illa cognoscere indirecte & mediate in essentia divina, ratione prius perfecte cognita. Nam ad utrumque requiritur virtus simpliciter infinita in ratione intelligendi, & ex utroque equaliter arguitur intellectus simpliciter infinitus in ratione intelligentis. Et verò quid in ratione intelligendi melius cogitari potest, quàm posse cognoscere, & summa necessitate cognoscere simul & cum infinita claritate omnia omnino alia à Deo, hoc ipso præcisè, quòd possunt esse objectum cognitionis? Hæc igitur prerogativa pertinere non potest, nisi ad intellectum infinite perfectum in ratione intelligentis, & superat omnem in intelligendo activitatem aliquatenus limitatam.

Obj. 4. Si Deus aliqua cognitione cognoscit directe & immediate creaturas, aliqua Dei cognitio specificatur à creaturis. Absurdum conf. Ergo, &c. *R.* n. seq. maj. Nam, ut docet S. Thomas hic q. 14. art. 5. ad 3. in tantum objectum aliquod specificat cognitionem sui, in quantum est illius causa, & ad illam vel per se vel per speciem sui vicariam concurret cum intellectu, à quo cognoscitur. At creatura cognitionem illam, quæ à Deo directe & immediate cognoscuntur, nullatenus causant, sed pure terminant. Ergo non specificant cognitionem illam, quæ à Deo cognoscuntur directe & immediate in se ipsis. Hæc autem cognitio, cum non aliam sui causam agnoscat, quàm summam intellectus divini perfectionem in ratione intelligendi, totam suam speciem à summa intellectus divini in ratione intelligendi perfectione accipit, proindeque ex ea sola mensurari & æstimari potest.

Obj. 5. Bonitas creata non potest directe & immediate terminare actum voluntatis divinæ. Ergo nec veritas creata actum intellectus divini. *R.* n. ant. Nam voluntas divina duplici virtualiter actu amat v. gr. creaturas possibles, uno scilicet mediate & indirecte propter bonitatem præamatam essentia suæ, cuius sunt imitationes quædam & participationes possibles; altero verò directe & immediate propter eam non repugnantem; ita tamen ut illud, propter, nullam creaturis possibilibus in actum illum divinum, quo directe & immediate amantur, causalitatem attribuat, sed meram aptitudinem ad terminandum actum amoris, quæ præsupposita, non potest voluntas divina non habere actum simplicis complacentia, quo sibi in creaturis possibilibus directe & immediate complaceat. Unde directa illa & immediata Dei complacentia circa creaturas possibles, non ab ipsis creaturis possibilibus, sed à voluntatis divinæ perfectione specificatur, & ex ea sola mensurari & æstimari potest & debet.

Q U Æ S T I O IV.

De Scientia futuribilium.

Nota 1. Futuribile dicitur illud, quod futurum esset, si futura esset aliqua conditio, & consequenter quod esset, si poneretur aliqua conditio. Futuribile duplex est, unum scilicet necessarium, & alterum non necessarium, sed contingens. Necessarium est illud, quod necessario futurum esset, si futura esset aliqua conditio. Tale est lumen duplo majus ex hypothesi Solis duplo majoris. Nam si Deus aliquando producturus esset Solem duplo majorem, necessario futurum esset lumen duplo majus. Quia si Deus aliquando Solem duplo majorem produceret, Sol ille lumen duplo majus necessario profunderet. Quod verum esse, & ad objectum scientia simplicis intelligentia pertinere, extra controversiam est. Futuribile contingens seu liberum est illud, quod liberè futurum esset, si futura esset aliqua conditio. Talis fuit penitentia Tyriorum ex hypothesi prædicationis Christi, & miraculorum ejus. Nam si Christus prædicaturus fuisset, & miracula patrarurus apud Tyrios, Tyrii penitentiam acturi fuissent, quia si Christus apud Tyrios prædicasset, & miracula patrafferet, Tyrii penitentiam egissent, ut Christus ipse expressè testatus est. De hoc futuribili hic agitur, & quaeritur utrum à Deo certò præsciatur. Sed

Nota 2. Futuribile liberum duplex est, unum scilicet futuribile tantum, & alterum futuribile & futurum. Futuribile tantum est illud, quod quidem futurum esset, si futura esset aliqua conditio; non est tamen futurum, quia illa conditio non est futura: vel, quod idem est, quod aliquando esset, si esset aliqua conditio; nunquam tamen erit, quia nunquam erit illa conditio. Talis fuit penitentia Tyriorum pro tempore antecedente adventum Christi. Nam penitentia Tyriorum futura fuisset, si apud illos fuisset futura prædicationis Christi, quæ tamen futura non fuit, unde nec futura fuit Tyriorum penitentia: quia, ut Christus ipse attestatus est, si Christus prædicasset apud Tyrios, Tyrii conversi fuissent, qui tamen conversi non sunt, quia Christus apud illos non prædicavit. Futuribile simul & futurum est illud, de quo verum est dicere: Futurum esset, si futura esset talis conditio; Futurum est, quia futura est talis conditio: sive, quod eodem redit, de quo verè dicitur: Esset, si esset talis conditio, & re ipsa erit, quia erit talis conditio. Talis fuit negatio Christi facta à Petro: nam pro tempore antecedente passionem Christi verè dici potuit: Futurum esset, ut Petrus negaret Christum, si futurum esset, ut Petrus tali modo tentaretur; re ipsa futurum est, ut Petrus neget Christum, quia re ipsa futurum est, ut tali modo tentetur: vel, quod idem est, pro tempore antecedente passionem Christi verè dici potuit: Petrus negaret Christum, si tali modo tentaretur; re ipsa Petrus negabit Christum, quia re ipsa tali modo tentabitur. Itaque futuribile tantum excludit absolutam futuritionem, unde vocari potest futuribile exclusivum. Futuribile verò simul & futurum, solùm præscindit, quæ futuribile, à futuritione absoluta: unde appellari potest futuribile præcisivum. De utroque autem illo futuribili hic agitur, & utrumque ex æquo complectitur scientia futuribilium, pro qua hic pugnamus.

Nota 3. De futuribili exclusivo duo verè possunt enunciari, nempe quòd possibile sit sub tali conditione, & quòd futurum esset, si futura esset talis conditio; vel si vis, quòd posset esse sub tali conditione, & quòd re ipsa esset, si esset talis conditio. Prima veritas est necessaria, secunda verò contingens: nam futuribile sic futurum esset, si futura esset talis conditio, ut posset non esse futurum etiam in sensu composito talis conditionis ut futura. Prima est prior, quàm secunda, in subsistendi consequentia. Nam valet: Esset, si poneretur talis conditio: ergo posset esse, si poneretur talis conditio. At non valet: Posset esse sub tali conditione: ergo re ipsa esset sub tali conditione. Igitur diversæ sunt hæc duæ veritates, & pertinent ad diversas scientias.

tias. Futuribile autem præcisivum, præter has duas veritates tertiam sibi vindicat, nempe quod re ipsa futurum sit, quia futura est talis conditio, sive quod re ipsa erit, quia re ipsa ponetur talis conditio: quæ tertia veritas sanè diversa est à duabus prioribus. Nam & est magis dependens, cum pendeat à conditione in re ponenda; & est postrema in subsistendi consequentia. Nam valet ab ea ad secundam & primam: at non vicissim ad eam valet à secunda, & multò minùs à prima. Valet enim: Erit: ergo esset, si, &c. Ergo potest esse, si, &c. At non vicissim valet: Posset esse, esset, si, &c. ergo erit. Unde necesse est hanc tertiam veritatem ad tertiam aliquam scientiam, à duabus prioribus, ad quas duæ priores veritates atinent, diversam pertinere. Ex quibus apparet scientiam futuribilem, ad quam pertinet secunda veritas, aliam esse à scientia, cujus sunt possibilia, & ab ea, cujus sunt aliquando exitura.

Nota 4. Cum dicitur futuribile liberum esse illud, quod contingenter & liberè futurum esset, si futura esset aliqua conditio, intelligitur conditio, quæ esset causa futuritionis absolutæ, aut saltem occasio, vel præsuppositio quædam ad ipsam pertinens, quia ad eam conduceret. Unde propositiones, quarum veritas ingreditur objectum scientiæ futuribilem, sunt illæ omnes & solæ, quibus enunciat, vel enunciari potest actuum cuiuscumque liberi agentis contingens & libera futuribilitas sub conditione alicujus se habentis per modum causæ, aut saltem occasionis, vel præsuppositionis cuiusdam ad rem pertinentis: sive, quod idem est, quibus enunciat, vel enunciari potest libera & contingens connexio, quam actus cuiuscumque liberi agentis habent cum aliquo supposito ut futuro; vel, quod eodem redit, supposito ut existente pro aliqua temporis differentia, & se habente per modum causæ, aut saltem occasionis vel præsuppositionis cuiusdam ad rem conducentis. Tales fuerunt pro suo tempore hæ propositiones: Si David remaneret Ceilæ, Ceilitæ illum Sauli traderent: Si Christus prædicaret Tyriis, Tyrii poenitentiam agerent: Si Petrus tali modo tentaretur, negaret Christum: Si Petrus lapsus tali donaretur gratia, converteretur, &c. Tales sunt istæ, quibus priores æquivalent: Si futurum esset ut David Ceilæ remaneret, futurum esset ut Ceilitæ illum Sauli traderent: Si Christus prædicaturus esset Tyriis, Tyrii poenitentiam acturi essent: Si futurum esset, ut Petrus tali modo tentaretur, Christum negaturus esset: Si futurum esset, ut Petrus post lapsum tali gratia donaretur, futurum esset, ut converteretur.

Nota 5. Scientiæ futuribilem, ut liquet ex dictis hætenus, objectum sunt, 1. omnes actus cuiuscumque liberi agentis contingenter & liberè futuribiles sub conditione alicujus se habentis per modum causæ, aut saltem occasionis vel præsuppositionis ad rem pertinentis, ut tales præcisè: sive sunt omnes actus cuiuscumque liberi agentis contingenter & liberè connexi cum aliquo supposito ut futuro, vel etiam ut existente pro aliqua differentia temporis, & se habente per modum causæ, aut saltem occasionis vel præsuppositionis ad rem conducentis, quæ tales præcisè. 2. Propositiones omnes, quibus præcisè enunciat, vel enunciari potest hæ futuribilitas, seu connexio contingens & libera quorumlibet actuum cuiuslibet agentis liberi: sic tamen ut hæ futuribilitas seu connexio immediatius pertineat ad scientiam futuribilem, quam veritas propositionum illarum; cum enim veritas propositionum illarum supponat illarum objectum, quod est futuribilitas contingens & libera futuribilem, & ita ratione prius sit, objectum illarum propositionum esse tale, quale enunciat, quam illas esse veras; ratione prius est, cognosci futuribilitatem contingentem & liberam futuribilem, quam cognosci veritatem propositionum illarum, quibus enunciat hæ futuribilitas; & hæ futuribilitas ratione prius cognita, est Deo, seclusis imperfectionibus, ratio cognoscendi veritatem propositionum illarum, quibus enunciat. Ex his scientia futuribilem in Deo rectè describitur: Scientia, qua Deus præcisè novit, & quidem certò & infallibiliter, quid

quid quodlibet agens liberum contingenter & liberè acturum esset, vel si vis, ageret in quibuslibet circumstantis possibilibus, & ad rem aliquam ratione pertinentibus & conducentibus, sive illud re ipsa acturum sit, sive non: quod nosse pertinet ad scientiam rerum aliquando existentium; ad eam enim pertinet scire quidquid quodlibet agens liberum aliquando acturum est, & consequenter scire quidquid nunquam acturum est. His præsuppositis sit

ARTICULUS I.

Scientiam futuribilem in Deo existere ostenditur auctoritate Scripturæ, tum veteris, tum novæ.

1. Itaque lib. 1. Regum c. 23. dicitur: *Et ait David: Domine Deus Israel, audivit famam servus tuus, quod disponat Saul venire in Ceilam, ut evertat urbem propter me: si tradent me viri Ceilæ in manus ejus, & si descendet Saul, sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israel, indica servo tuo.* Et ait Dominus: *Descendet.* Dixitque David: *Si tradent me viri Ceilæ, & viros qui sunt mecum, in manus Saul? Et dixit Dominus: Tradent.* Surrexit ergo David, & viri ejus quasi sexcenti, & egressi de Ceilæ, huc atque illuc vagabantur incerti. Nunciatumque est Sauli, quod fugisset David de Ceilæ, & salvatus esset: quam ob rem diffinulavit ire. Ex quibus Scripturæ verbis habemus tria. 1. Davidem Deum interrogasse, non de periculo, aut periculi magnitudine, non de præsentis Saulis dispositione, quam non ignorabat, sed de descensu Saulis, & Ceilitarum prodicione, utrum scilicet, si ipse cum suis Ceilæ remaneret, Saul eò descensurus esset, & Ceilitæ cum eum suis prodituri essent. 2. Deum simpliciter & absolute respondisse Saulem ad obsidendam Ceilam descensurum, & Ceilitas ad vitandam urbem suæ everfionem Sauli prodituros Davidem cum suis, si Ceilæ remaneret. 3. Neque Saulem descendisse, neque Ceilitas Davidem cum suis prodidisse, eò quod David cum suis aliò migravit. Addo verba Scripturæ laudata in proprio & obvio sensu accipienda esse: cum ne levis quidem ratio suadeat ea aliter accipienda. Quibus præsuppositis

Sic argumentor. Deus certò & infallibiliter novit, quod prædicat. Atqui Deus prædixit, Saulem descensurum Ceilam, & Ceilitas prodituros Davidem, si Ceilæ remaneret. Ergo Deus certò & infallibiliter novit, Saulem descensurum Ceilam, & Ceilitas prodituros Davidem, si Ceilæ remaneret. Sed quod Saul descensurus esset Ceilam, & Ceilitæ prodituri essent Davidem, si David Ceilæ remaneret, erat futuribile contingens & liberum, pro quo certè non est ratio, cur cognosceretur à Deo potius quam alia omnia futuribilia contingentia & libera. Ergo Deus certò & infallibiliter novit omne futuribile contingens & liberum, & consequenter Deus habet scientiam futuribilem.

Confirm. Cum Deus Davidi interroganti respondit, Saulem descensurum Ceilam, certè aliquid respondit de descensu Saulis. Ergo vel respondit, quod Saul posset descendere: vel respondit, quod periculum esset, ne descenderet, & quod descensum meditaretur: vel respondit fore, ut re ipsa descenderet, sive David Ceilæ remaneret, sive non: vel denique præcisè respondit fore, ut descenderet, si David Ceilæ remaneret. Non primum. Sciebat enim David Saulem posse Ceilam descendere, neque à Deo quærebat, utrum Saul posset descendere Ceilam, an non. Ergo Deus non respondit Saulem posse Ceilam descendere. Nisi velis Davidem aliud à Deo quæsisisse, & Deum aliud Davidi quærenti respondisse. Non secundum. Nam David probè norat periculum esse ne Saul descenderet Ceilam, si ibi ipse remaneret, & audiverat, quod disponderet Saul venire in Ceilam, ut everteret urbem propter illum, & ut cap. citato dicitur, *relevarat, quod prepararet ei Saul clam malum.* Unde David non interrogavit Deum de periculo, aut præsentis dispositione Saulis, sed utrum Saul consilium, quod meditabatur, esset re ipsa, Ceilam descendendo,

execu-

executus. Unde vel Deus non respondit de periculo descensus, & præsenti Saulis dispositione, vel non respondit ad rem, & sic elusit interrogationem: quod Deo planè indignum esse, nemo non videt. Non tertium. Alioqui Deus falsum respondisset: nam Saul non descendit Ceilam: cum enim, ut ait Scriptura, nunciarum esset Sauli, quod fugisset David de Ceila, dissimulavit exire. Ergo quartum dicendum est, nempe quod Deus præcisè responderit, fore ut Saul Ceilam descenderet, si David ibi cum suis remaneret: quod præcisè quæsierat David. Ergo Deus vel opinabatur, sive coniciebat, vel certò & infallibiliter noverat, fore ut Saul descenderet Ceilam, si ibi remaneret David cum suis. Non primum. Nam opinioni & conjecturæ falsum subesse potest, & qui opinatur, vel conicit, non est nec potest esse planè certus. Unde nec opinio, nec conjectura locum habere possunt in intellectu divino, quem dubium esse, aut falli repugnat: cum sit intellectus entis, quo nihil melius esse, vel cogitari potest. Ergo secundum. Ergo Deus, antequam interrogaretur à Davide, certò & infallibiliter noverat futurum fuisse, ut Saul Ceilam descenderet, si futurum fuisset ut David Ceilæ remaneret. Sed quod Ceilam descensus fuisset Saul, si Ceilæ David remansurus fuisset, erat futuribile contingens & liberum. Ergo datur in Deo scientia futuribile, & in Deo dari non dubitavit David, quando Deum de contingenti & libero futuribili præcisè interrogavit.

2. lib. 3. Reg. c. 11. dicitur: *Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas ... super quibus dixit Dominus filiis Israel: Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras: certissime enim averrent corda vestra, ut sequamini Deos earum.* Ex quibus verbis sic argumentor. Deus prædixit Israelitis, fore ut, si uxores alienigenas ducerent, ab illis certissime averterentur à cultu veri Dei. Ergo Deus aliqua scientia certissime præsciebat fore, ut si uxores alienigenas ducerent Israelitæ, ab illis à cultu veri Dei averterentur. Sed hæc scientia non est alia, quam scientia futuribile. Non enim est scientia possibile præcisè quā possibile, ut per se patet: nec scientia rerum aliquando existentium, quā existentium, quæ ratione posterior erat prohibitione facta à Deo Israelitis, ne ingrederentur ad mulieres alienigenas, & consequenter ratione posterior erat scientia prælucenti prohibitioni & prædictioni divinæ Israelitis factæ. Ergo, &c.

Confirmatur & declaratur ampliùs hæc ratio cinatio. Deus prohibuit Israelitis, ne uxores alienigenas ducerent, & prædixit illis fore ut ab illis à cultu veri Dei averterentur, si eas ducerent. Atqui huic prohibitioni & prædictioni divinæ præluxit scientia aliqua certa & infallibilis: non enim Deus cæco modo, aut opinans tantum vel conjectans, prohibuit & prædixit. Ergo huic prohibitioni & prædictioni divinæ præluxit vel sola scientia possibile ut sic, vel scientia aliquando existentium ut sic, vel denique scientia aliqua, media inter utramque, quæ alia esse non potest, quam scientia futuribile. Non primum. Nam Deus non prohibuit Israelitis, ne alienigenas ducerent, quia præcisè poterant averti: nec præcisè prædixit Israelitis, quod possent averti ab uxoribus alienigenis, sed quod certissime futurum esset, ut averterentur ab eis, si eas ducerent. Non secundum. Nam Israelitæ poterant non ducere alienigenas in sensu composito prohibitionis & prædictionis divinæ, & à fortiori in sensu composito scientiæ, prohibitioni & prædictioni divinæ prælucentis. At non poterant eas non ducere in sensu composito scientiæ existentium ut sic: hoc est, in sensu composito scientiæ, qua Deus prænoverat illorum cum mulieribus alienigenis connubia, ut existentia pro tali differentia temporis: alioqui potuissent ducere & non ducere simul mulieres alienigenas pro eadem temporis differentia: quod repugnat. Superest igitur ut tertium dicatur, nempe quod prohibitioni & prædictioni divinæ Israelitis factæ prælucent scientia, inter scientiam possibilem, qua Deus

noverat Israelitas à mulieribus alienigenis posse averti, & scientiam existentium, qua Deus noverat Israelitas revera aversum iri ab uxoribus alienigenis, medium quendam locum tenens, qua Deus noverat futurum esse, ut Israelitæ averterentur à mulieribus alienigenis, si futurum esset, ut eas acciperent uxores: quæ certè scientia erat objecti contingenter & liberè futuribilis. Ergo datur in Deo scientia futuribile.

Et verò dici non potest, quod Deus Israelitas tantum admonuerit periculi aversionis, aut quod tantum propter periculum aversionis prohibuerit connubia alienigenarum. Nam hæc verba, *certissime averrent corda vestra*, manifestè significant, non periculum aversionis tantum, sed ipsammet aversionem sub tali conditione liberè futuribilem, & consequenter manifestè indicant, non scientiam periculi tantum, quam quilibet Israelitarum habere poterat, & habebat, sed scientiam certam & infallibilem, qua Deus ipsammet aversionem præsciebat ut liberè futuribilem sub tali conditione: nisi tamen dicatur Deus cum exaggeratione locutus esse. Sed hic modus loquendi gratis Deo attribueretur hoc loco, & sine ulla necessitate verba Scripturæ ad sensum improprium & metaphoricum detorquerentur. Quod non est tolerandum.

3. Matth. c. 11. Christus Judæos objurgat his verbis: *Vatibi Corozaim, vati tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere poenitentiam egissent.* Hic expressè Christus attestatur Tyriis, quod poenitentiam egissent, si apud illos prædicasset, sicut prædicavit apud Judæos, & consequenter futurum fuisset, ut Tyrii converterentur, si futurum fuisset, ut Christus apud illos prædicaret. At Christus non attestabatur, nec attestari poterat, quod ignorabat. Ergo sciebat futurum fuisse ut Tyrii converterentur, si futurum fuisset, ut ipse apud illos prædicaret. Ergo sciebat vel scientia conjecturali tantum, vel scientia certa & infallibili. Non primum. Injuriosum enim est Christo, asserere quod habuerit cognitiones aliquas, quibus falsum subesse poterat. Ergo secundum. Atqui quod futurum fuerit ut Tyrii converterentur, si futurum, &c. fuit futuribile contingens & liberum. Ergo Christus habuit scientiam futuribilem certam & infallibilem.

Nec dic poenitentiam Tyriorum fuisse merè possibilem, ac proinde verba Christi accipienda esse, non in sensu proprio, sed in sensu aliquo metaphorico. Nam falsum est, quod fuerit merè possibile in hypothese prædicationis Christi. Et verò inter merè possibile & futurum, aut aliquando existens, datur medium, nempe futuribile, qualis fuit poenitentia Tyriorum in hypothese prædicationis Christi: non enim solum potuit esse, sed etiam re ipsa fuisset, si Christus Tyriis prædicasset; quamvis re ipsa nunquam fuerit, quia Christus nunquam Tyriis prædicavit. Nullum igitur sufficiens fundamentum est, hic accipiendi verba Christi in sensu improprio & metaphorico.

Obj. Christus, Matth. cap. citato, sic ait: *Si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem.* Ergo Christus loco à nobis laudato locutus tantum est secundum conjecturalem scientiam. R. n. conseq. Nam hæc vox, *forte*, à Christo addita est, vel ad increpandum, ut dicit S. Augustinus tract. 37. in Evang. Joannis, vel ut ostenderet per suam prædictionem non ladi libertatem humanam, juxta S. Hieronymi interpretationem. Nam in cap. 26. Hier. hæc habet: *Uerbum ambiguum, forsitan, majestati Domini non potest convenire: sed nostro loquitur affectu, ut liberum hominis servetur arbitrium.* S. verò Augustinus loco citato sic loquitur: *Ille qui omnia scit, quando dicit, forsitan, non dubitat, sed increpat. Attende enim quomodo increpative dicatur ipsum forsitan, quod videtur esse verbum dubitationis; sed dubitationis verbum est, quando dicitur ab homine ideo dubitante, quia nesciente. Cum verò dicitur à Deo verbum dubitationis, cum Deum nihil utique lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas.*

Dices. Hæ interpretationes violentæ sunt; nam revera dantur in Deo cognitiones conjecturales & probabiles tan-

tantum. *R. n. Probabis.* Deus in Scriptura aliqua per se vel per Prophetas prædicit, quæ non sunt infallibiliter futura, & quæ proinde non prædicit, nisi ex scientia conjecturali. *R. n.* Nihil enim Deus sive per se sive per Prophetas prædicit, quod non sit infallibiliter futurum eo modo, quo futurum esse prædicitur. *Nota.* In prædictionibus divinis aliquando nulla conditio subintelligitur, & tunc id quod prædicitur, semper est pro eo tempore, pro quo esse prædicitur. Aliquando verò subintelligitur aliqua conditio: sic in prædictionibus comminatoriis communiter subintelligitur hæc conditio: Nisi peccatores resipiscant: & tunc id, quod prædicitur, quandoque est, quandoque non est pro eo tempore, pro quo esse prædicitur, quia conditio subintellecta quandoque ponitur, quandoque non ponitur: sed ea posita, certissime sit id, quod prædictum à Deo fuit.

ARTICULUS II.

Dari in Deo scientiam futuribilem probatur ex S. Augustino.

S Sanctus Doctor libro de dono perseverantiæ c. 9. de iustis, qui ante mortem labuntur, & in peccato moriuntur, sic ait: *Certe poterat illos Deus præsciens esse lapsuros, antequam id fieret, auferre de hac vita.* Et lib. de correptione & gratia c. 8. Respondent, si possunt (*Massilienses*) cur illos Deus, cum fideliter & pie viverent, non tunc de vita huius periculis repuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fultio deciperet animas eorum. Utrum hoc in potestate non habuit, an eorum, mala futura nescivit? nempe nihil horum, nisi perverissimè, atque insanissimè dicitur. Ecce aperte S. Doctor agnoscit in Deo scientiam circa reprobos, quæ præcivit eorum lapsum futurum, & mala futura, si diutius viverent, quæ stante potuit eos rapere antequam laberentur, & peccarent, & tamen noluit. Atqui hæc scientia est scientia futuribilem. Ergo S. Augustinus aperte agnovit in Deo scientiam futuribilem.

Prob. min. Nam hæc scientia vel est scientia merè possibilium, vel scientia futurorum, & aliquando existentium, vel denique scientia futuribilium. Non primum. Nam juxta S. Doctorem hæc scientia non est ea, quæ præcisè Deus sciebat reprobos posse labi & malè agere, sed quæ præcisebat eos lapsuros & malè acturos, si diutius viverent. Non secundum. Nam stante scientia, quæ Deus præcisebat lapsum & mala opera reproborum ut futura, & pro tali tempore existentia, non potuit eos rapere, quia non potuit velle eos rapere. Non potuit autem, stante scientia illa, velle eos rapere, quia scientia illa supposebat in Deo voluntatem absolutam & efficacem permittendi lapsum & mala opera reproborum, & cum voluntate absoluta & efficaci permittendi lapsum & mala opera reproborum, non potuit esse voluntas absoluta & efficax præveniendi lapsum illum, & mala illa opera, ut per se manifestum est. Ergo tertium dicendum est, nempe quòd in Deo sit scientia certa & infallibilis circa reprobos, idem dic de prædestinatis, quæ Deus ab æterno præcivit illos lapsuros & peccaturos esse, si diutius viverent; præcivit, inquam, ratione prius quàm vellet aut nollet eos rapere, eorumque lapsum & peccata prævenire, ac proinde cum adhuc poterat alterutrum pro arbitrio velle. Atqui hæc scientia est ea, quæ Deus præcisè noverat futurum esse ut reprobi laberentur & peccarent, si futurum esset, ut diutius viverent, seu quæ Deus præcisè noverat lapsum & peccata reproborum, ut contingenter & liberè futuribilia sub tali conditione. Ergo ex S. Augustino, non nisi perverissimè atque insanissimè denegatur Deo scientia futuribilem.

2. S. Augustinus inter actus merè posibles, & actus futuros, ac existentes aliquando, agnovit actus contingenter & liberè futuribiles, seu actus qui contingenter & liberè futuri fuissent, si futura fuisset aliqua conditio. Ergo agnovit etiam in Deo scientiam certam & infallibilem horum actuum con-

Simonnet Theol. Tom. I.

tingenter & liberè futuribilem; nisi tamen dicatur sensisse, Deum aliquas veritates ignorare posse. A quo errore quantum abhorruerit S. Doctor, patet ex tract. 37. in Evang. Joannis, ubi expressè docet, Deum nihil latere.

Prob. ant. ex lib. de dono persever. cap. 9. ubi absurdissimum errorem Massiliensium, asserentium homines judicari posse non solum secundum merita & demerita futura & aliquando existentia, sed etiam secundum merita & demerita futuribilia tantum, hoc est, secundum merita & demerita, quæ quidem nunquam futura fuerunt, aut extiterunt, sed quæ futura fuissent, & aliquando extitissent, si homines diutius victuri fuissent, & vixissent, refellit argumento ex Tyriis & Sidoniis desumpto: *Nec damnarentur, inquit, Tyrius & Sidon, quamvis remissus, quam illa civitates, in quibus, non credentibus, à Domino Christo admirabilia & signa sunt facta: quoniam si apud illos facta essent, in cinere & cilicio penitentiam egissent, sicut se habent eloquia veritatis.* Et adhuc inferius: *Porro scietiam secundum facta, quæ facturi essent, si viverent, mortui judicantur, profectio quia fideles futuri erant isti (Tyrii scilicet & Sydonii) si eis cum tantis miraculis fuisset Evangelium prædicatum, non sunt utique puniendi.* Vides S. Augustinum opinionem Massiliensium refellere, non negando contingentem & liberam futuribilitatem meritorum & demeritorum, quam asseriebant, & quæ abutebantur, ut argumentorum, quibus premebantur, vim eluderent; sed contra cum eis futuribilitatem illam supponendo, ut clarè expressam in Scriptura facit: *Si apud illos, inquit, facta essent (signa,) in cinere & cilicio penitentiam egissent, sicut se habent eloquia veritatis, & invictissime probatam testimonio ipsiusmet Christi: nam inferius eod. c. sic ait: Numquid possumus dicere Tyrios & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent? cum eis ipse Dominus attestetur, quod acturi essent magne humilitatis penitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum.* Supponendo igitur cum Massiliensibus contingentem & liberam futuribilitatem meritorum & demeritorum, eam contra eos retorquebat in Tyriorum & Sidoniorum exemplo, qui cum bonis meritis futuribilibus judicabuntur & damnabuntur in die iudicii, quamvis remissius quàm Judæi Christo increduli, ut ipse testatur Christus, Matth. c. 11.

Obj. 1. hæc verba S. Augustini lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 12. *Unde hoc talibus viris (Massiliensibus) in mentem venerit nescio, ut futura, quæ non sunt futura, puniantur, aut honorentur merita parvulorum.* Sed his verbis S. Doctor negat merita, sive bona, sive mala, contingenter & liberè futuribilia. Ergo ejusmodi futuribilem scientiam in Deo non agnovit. *R. neg. min.* Nam loco laudato solum miratur, quòd in mentem Massiliensium venire potuerit, Deum in ordine ad puniendum vel honorandum habere rationem meritorum, quæ nunquam futura fuerunt; quamvis futura fuissent, si futura fuisset aliqua conditio: cum per se notum sit, opera bona, vel mala, quæ nunquam sunt, licet aliquando essent, si poneretur aliqua conditio, nullius esse considerationis in æstimatione prudenti in ordine ad poenam vel præmium.

Obj. 2. Eodem lib. c. 14. interpretans illud Sapientia, *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, sic loquitur: Dicitur est secundum pericula vite huius, non secundum præscientiam Dei, qui hoc præsevit, quod futurum erat, non quod futurum non erat, id est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut temptationum subtraheretur incerto, non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset.* Sed his verbis significat S. Doctor, se non aliam in Deo agnoscere præscientiam, quàm præscientiam futurorum. Ergo &c. *R. neg. min.* Nam solum asserit, hoc, *Raptus est, &c.* non esse dictum secundum præscientiam Dei absolutam, quæ Deus præcivit ea tantum, quæ re ipsa futura sunt, qualia non sunt ea,

E de

de quibus tantum dici potest: Futura essent, si futura esset aliqua conditio; sed secundum pericula hujus vite, in quibus scilicet prescientiam futuribilium certo prænoverat Deus justum illum lapsurum esse, si diutius viveret. Bonitas hujus responsionis patet ex supra dictis, & adhuc magis ostendi potest ex hoc cap. quod nobis objicitur, ubi contra Massilienses ex textu Sapientie laudato sic argumentatur: Si judicarentur homines pro meritis sue vite, que non haberent morte præveniente, sed habituri essent, si viverent; nihil prodesset ei, qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus. Quare autem nihil prodesset, nisi quia, quamvis raptus antequam malitia mutasset intellectum ejus, nihilominus propter mala opera, quæ non fecisset, sed facturus fuisset, si diutius vixisset, condemnaretur à Deo, quem nihil latet, quique proinde novit non solum omnia quæ futura sunt, sed etiam omnia, quæ futura fuissent, si futura fuisset aliqua conditio? Unde perinde condemnaretur, postquam ex pura misericordia raptus est, ac si raptus non fuisset, & ita justum rapti, antequam malitia mutaret intellectum ejus, non erit beneficium. Quod non solum divinæ Scripturæ, sed etiam naturali rationi repugnat.

Obj. 3. hæc S. Augustini verba lib. 1. de anima, & ejus origine c. 12. Quid quod ipsa exinanitur omnino prescientia, si quod præcitur, non erit? Quomodo enim rectè dicitur præciri futurum, quod non est futurum? quomodo ergo puniuntur peccata, que nulla sunt, id est, que nec vita ista nondum incipiente commissa sunt ante carnem, nec morte præveniente post carnem? Ergo S. Doctor nullam nisi futurorum agnoscit præscientiam, R. n. conseq. Nam hoc loco S. Doctor non de qualicumque præscientia loquitur, sed de præscientia, quæ præluet voluntati divinæ, præparanti pœnas vel præmia. Hæc autem præscientia non est, nisi futurorum, & aliquando existentium bonorum & malorum operum. Rectè igitur ait S. Doctor hanc præscientiam, ex parte Dei ad puniendum & præmiandum requisitam, exinaniri, si quod præcitur, non erit, quia hæc præscientia non est, nisi futurorum; cum non nisi futurorum, & aliquando existentium malorum vel bonorum operum ratio haberi possit in ordine ad infligendam pœnam, aut præmium retribuendum. Quod autem nunquam erit, futurum non est, & ita nullum est in estimatione prudenti, quamvis esset, si esset aliqua conditio. Unde notitia illius in Deo, sive ut possibilis, sive etiam ut futuribilis, est notitia nullius in estimatione prudenti; & ita nec est, nec esse potest præscientia illa, qua Deus movetur ad præparanda supplicia, vel præmia. Bonitas hujus responsionis patet ex eo, quod S. Augustinus lib. de bono perlev. c. 9. expressè agnoscat in Christo præscientiam pœnitentiæ Tyriorum & Sidoniorum, ut contingenter & liberè futuribilis sub conditione prædicationis & miraculorum Christi.

Obj. 4. S. Augustinus lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum c. 7. sic loquitur: Quomodo præcivis ea futura, que, illis in infantia morituris, quia præscientia ejus falli non potest, præcivis potius non futura? Ergo S. Augustinus respuit scientiam futuribilium, R. n. conseq. Nam S. Doctor non aliud hic ait, quam dici non posse, quod Deus præcivat ut futura bona vel mala opera hominum in infantia morientium, sicut dicebant Pelagiani Deum præcivisse ut futura opera Jacob & Esau, & idcirco unum dilexisset propter bona opera prævisa ut futura, alterum verò odisset propter mala opera, similiter prævisa ut futura. Hoc autem dicebant, ut responderent Augustino, qui, ut contra illos probaret prædestinationem & reprobationem negativam rejiciendas esse in beneplacitum Dei, qui cujus vult miseretur, & quem vult indurat, usus erat post Apostolum exemplo Jacob & Esau, quorum primum dilexit Deus, alterum verò odio habuit, antequam quidquam boni egissent, aut mali.

Porro ut Pelagianorum respondentium Jacob à Deo

dilectum, & Esau odio habitum fuisse antequam quidquam egissent, non antequam quidquam acturi prævisi essent, contumaciam frangeret, opposuit illis exemplum duorum parvulorum, in infantia morientium, quorum unus cum baptismo, alter sine baptismo moritur, ac proinde quorum unus à Deo eligitur, alter verò rejicitur; nec tamen dici potest eum, qui eligitur, eligi quia præcivuntur bona ejus opera futura; vel eum, qui rejicitur, rejici quia præcivuntur mala ejus opera futura. Cum enim Deus ab æterno præciverit, eos ad ætatem adultam non esse perventuros, bona vel mala, quæ in adulta ætate fecissent, opera, non ut futura, sed è contra ut non futura præcivit ab æterno. Ex quo manifestè evincitur in negotio prædicationis & reprobationis negativæ recurrendum esse ad beneplacitum Dei, qui ex duobus hominibus, in eadem damnatione propter originale peccatum versantibus, unum justo judicio relinquit in massa perditionis, & alterum ex hac massa eripit ex pura misericordia. Ut vobis auferretur, inquit S. Doctor ad Pelagianos, omnis vestra caliginis latebra, propterea geminos tales proposui, qui neque parentum meritis jurentur, & ab eo in infantia primordio unus baptizatus, alter sine baptismo morentur, ne diceretis Deum, sicut de Jacob & Esau contra Apostolum dicitis, opera eorum futura præcivisse: quomodo enim præcivisse ea futura, que illis, &c. Hoc igitur solum vult S. Doctor in exemplo parvulorum à se prolato, non posse Pelagianos confugere ad præscientiam futurorum, sicut confugebant in exemplo Jacob & Esau.

ARTICULUS III.

Deum habere scientiam futuribilium probatur ratione.

Scientia futuribilium est ea, qua certò & infallibiliter cognoscitur, quid quodlibet agens liberum faceret vel non faceret sub quacumque conditione possibili, & ad rem pertinente. Atqui Deus habet hanc scientiam, Ergo, &c. Major patet ex definitione scientiæ futuribilium, superius data & exposita. Min. prob. faciliè. Nam scire certò & infallibiliter, quid quodlibet agens liberum faceret vel non faceret sub quacumque conditione possibili, & ad rem pertinente, est perfectio maxima, & melior ipsa, quam non ipsa, quia non est impossibilis cum alia equali, aut meliore. Sic v. gr. scire certò & infallibiliter, quid Tyrii acturi, vel non acturi essent, si Christus illis prædicaret, est sanè perfectio, & perfectio melior ipsa, quam non ipsa, qua proinde Deus non potest carere.

Confirm. Si Christus prædicasset Tyriis, vel conversi fuissent, vel non fuissent conversi. Nam sicut inter converti & non converti simpliciter non datur medium, ita nec datur inter converti & non converti, si poneretur aliqua conditio ad rem pertinens. Ergo hæc propositio: Tyrii conversi fuissent, si Christus apud illos prædicasset: est vera vel falsa determinatè: vera quidem, si posita conditio, Tyrii conversi fuissent: falsa verò, si non fuissent conversi. Ergo contradictoria: Tyrii non fuissent conversi, si Christus apud illos prædicasset: est etiam vera, vel falsa determinatè: vera quidem, si prima est falsa; falsa verò, si prima est vera. Atqui Deum nulla veritas latere potest: alioqui intellectus divinus non est id, quo nihil melius esse vel cogitari potest in ratione intelligentis. Ergo Deus certò & infallibiliter novit, quænam ex his duabus propositionibus sit determinatè vera, quænam determinatè falsa. Atqui ad hoc requiritur, ut Deus ratione prius certò & infallibiliter noverit, quid Tyrii acturi, vel non acturi fuissent, si Christus apud illos prædicasset. Non enim potest cognosci conformitas vel difformitas propositionis cum objecto, quin saltem ratione prius cognoscatur ipsum objectum, & cognoscatur, ita se habere, vel non ita se habere,

ut

ut enunciatur. Ergo Deus certò & infallibiliter novit, quid Tyrri acturi, vel non acturi fuissent, si Christus apud illos prædicasset. Manifestum autem est, quod hic de Tyrrii dicitur, dici posse de quolibet alio agente libero, in quibuscumque circumstantiis possibilibus, & ad rem pertinentibus, supponatur. Ergo Deus certò & infallibiliter novit, quid quodlibet agens liberum, liberè acturum, aut non acturum esset, vel fuisset, in quibuscumque circumstantiis possibilibus, & ad rem pertinentibus supponatur esse, vel fuisse. Ergo, &c.

Obj. 1. Non est potior ratio, cur Deus potius cognoverit v. g. pœnitentiam Tyrriorum futuram fuisse, si futurum fuisset ut Christus apud illos prædicaret, quam non fuisse futuram, & vicissim. R. N. Nam potior ratio ex parte Tyrriorum est, quia Christo apud illos prædicante, reverà pœnitentiam agere voluissent, & egissent; ex parte verò Dei, quia intellectus divinus ita ex intrinseca perfectione completus & determinatus est ad cognoscendum omne verum, ut nec ignorantia ullius, nec ullius erroris sit capax. Unde non potest non cognoscere omnia, ut sunt, hoc est, possibilia esse, quæ possibilia sunt; existere, quæ præsentia sunt; existisse, quæ præterierunt; futura esse, quæ aliquando erunt; futuribilia esse, quæ essent aliquando, si poneretur aliqua conditio. Et verò quod Tyrri converterentur, si Christus apud illos prædicaret, supposito quòd reverà, Christo apud illos prædicante, converterentur, est aliquid enunciabile per propositionem determinatè veram, cognoscibile est: habet enim veritatem objectivam, & omnis veritas objectiva apta est ad terminandam cognitionem aliquam. Ergo quòd Tyrri converterentur, si Christus apud illos prædicaret, supposito quòd reverà, Christo apud illos prædicante, converterentur, est aliquid cognoscibile, proindeque non potest non cognosci à Deo, qui vel cognoscit omne cognoscibile, vel non est simpliciter infinitus in genere intelligentis.

Obj. 2. Actus contingenter & liberè futuribilis, quæ talis, non est determinatus ad esse pro ulla differentia temporis. Ergo quæ talis non est cognoscibilis. R. n. conseq. Nam ut aliquid sit cognoscibile, necesse non est, ut sit determinatum ad esse pro aliquo tempore: alioquin ea tantum essent cognoscibilia, quæ aliquando existunt: quod est manifestè falsum. Itaque actus contingenter & liberè futuribilis, quæ talis, est cognoscibilis à Deo, licet non sit determinatus ad esse pro ulla differentia temporis, quia de illo, quæ tali, verè potest dici: Esset contingenter & liberè, si esset talis conditio: futurus esset contingenter & liberè, si futura esset talis conditio. Unde habet veritatem objectivam, nempe quòd esset, si esset talis conditio; quod futurus esset, si futura esset talis conditio. Nulla autem veritas objectiva Deum fugere potest, sicut nec veritas formalis ullius propositionis, quæ sit, aut fieri potest.

Dices. Actus quantumvis contingenter & liberè futuribilis, non potest verificare propositionem. Ergo non habet veritatem objectivam, ac proinde non est cognoscibilis. *Prob. ant.* Nam ad verificandam propositionem requiritur ex parte objecti aliquid actu & realiter præsens. R. n. ant. & ejus probationem universaliter sumptam. Itaque ad verificandam propositionem requiritur & sufficit ex parte objecti, ut de illo possit aliquid verè enunciari. Actus autem contingenter & liberè futuribilis, esset, si poneretur aliqua conditio. Ergo de illo verè enunciari potest, quòd esset, si esset aliqua conditio, ac proinde habet id, quod requiritur ad verificandam propositionem. Habet igitur veritatem objectivam.

Obj. 3. Si datur scientia futuribilium, supponit se ipsam. Falsum & absurdum conf. Ergo, &c. R. n. seq. maj. *Probabis.* Si datur scientia futuribilium, supponit omnia, quæ includuntur in conditione, sub qua actus sunt contingenter & liberè futuribiles, & consequenter supponit ut in statu conditio-

Simonet Theol. Tom. I.

nato posita ea omnia, sine quibus actus futuribiles non essent re ipsa in statu absoluto. Atqui unum ex his, sine quibus actus futuribiles non essent, nec possent esse in statu absoluto, secundum nos est ipsa scientia futuribilium, quæ Deum in iis omnibus, quæ quocumque modo decernit circa agentia libera, ut libera, dirigit. Ergo, &c. R. Scientiam futuribilium supponere quidem omnia, quæ includuntur in conditione, sub qua actus sunt contingenter & liberè futuribiles: at inde sequitur tantum, quòd supponat ut posita in statu conditionato ea, sine quibus actus non essent re ipsa contingenter & liberè futuribiles, hoc est, ea, sine quibus in statu conditionato positis, non esset verum dicere de actibus: Essent, futuri essent. Atqui scientia futuribilium non est unum ex iis, sine quibus in statu conditionato positis, non esset verum dicere de actibus, Essent, futuri essent. Ad hoc enim ut verum sit dicere de actibus, Essent, futuri essent; satis est si ponantur in statu conditionato omnes causæ proximæ actuum. Scientia autem futuribilium & decretum divinum sunt tantum causæ remotæ & mediatae, quarum proinde sola possibilitas ad actuum futuribilitatem requiritur. Unde sequitur tantum, quòd scientia futuribilium supponat possibilitatem sui ipsius, sicut & decreti divini possibilitatem. Quod non est inconveniens.

Res declaratur exemplo. Actus v. gr. quo Deus certò & infallibiliter novit, quòd Tyrri pœnitentiam egissent, si Christus eis prædicasset, supponit tantum ea, quæ, & eo tantum modo, quo supponit hæc veritas, Tyrri pœnitentiam egissent, si, &c. At hæc veritas supponit ut posita in statu conditionato ea tantum, quæ proximè concurrissent in statu absoluto ad pœnitentiam Tyrriorum, nempe voluntatem Tyrriorum, eandem specie & intentione gratiam, quam acceperunt Judæi, paratum omnipotentiaë concursum, prædicationem Christi, & ejus miracula. Hæc enim in statu conditionato posita, præciso quocumque alio, habent veram, licet contingentem & liberam, connexionem cum hac veritate: Tyrri pœnitentiam egissent. Unde his tantum in statu conditionato positis, quod fieri potest, quia possunt supponi, præciso decreto divino cum scientia illius directiva, statim sequitur hæc veritas: Tyrri pœnitentiam egissent; quæ proinde non supponit ut posita in statu conditionato decretum divinum & scientiam illius directivam, sed tantum ut possibilia, quatenus sine illis nec fuissent, nec esse potuissent in statu absoluto ea, quæ, in statu absoluto posita, re ipsa proximè concurrissent ad realem pœnitentiaë Tyrriorum existentiam.

Dices. Actus futuribilis supponit ut posita in statu conditionato ea omnia, quæ futurus supponit ut posita in statu absoluto. Atqui actus futurus supponit ut posita in statu absoluto omnes causas non solum proximæ, sed etiam remotas. Ergo, &c. R. n. maj. Ratio disparitatis est, quia actus non est futurus nisi dependenter à causis proximis, ut positis in statu absoluto pro aliquo tempore, qui status supponit Deum ab æterno ex directione scientiaë futuribilium decrevisse, ut causæ illæ revera essent pro aliquo tempore. Unde actus ut futurus supponit non solum causas proximæ, ut re ipsa exituras pro aliquo tempore, sed etiam decretum ab æterno existens, quo Deus ab æterno ex directione scientiaë futuribilium voluit ut pro aliquo tempore existent. At verò ut actus sit futuribilis, sufficit ut causæ proximæ ponantur in statu conditionato pro aliquo tempore, & causæ proximæ possunt poni & esse in statu conditionato pro aliquo tempore, præciso omni decreto divino cum scientia illius directiva. Unde actus ut futuribilis, supponit tantum causas proximæ in statu conditionato pro aliquo tempore positas, ac proinde decretum divinum cum scientia illius directiva non supponit, nisi ad summum ut possibile; quia, si non esset possibile, causæ proximæ non possent poni in statu absoluto, & ita actus non posset esse futurus, unde non posset nisi abusive dici futu-

futuribilis propter connexionem, quam haberet cum causis proximis, in statu conditionato positus.

Dices. Hæc propositio: Si Deus voluisset Christum apud Tyrios prædicare, & miracula facere, quæ fecit apud Judæos, atque eandem interiori gratiam, quæ Judæis data est, dare Tyriis, Tyrii poenitentiam egissent, vera est. Ergo poenitentia Tyriorum futuribilis fuit dependenter non solum à causis proximis, ut positis in statu conditionato, sed etiam à decreto divino, ut in eodem statu posito. *R. 1.* hoc toto enthymemate concessio, non sequi inconueniens, nempe quod scientia futuribilium se ipsam supponat: nam decretum divinum poni potest in statu conditionato, præcisa scientia illa, sine cuius directione non posset esse in statu absoluto. *R. 2.* Præciso etiam decreto divino, poenitentiam Tyriorum adhuc fuisse futuribilem. Nam vera est hæc propositio: Si Christus prædicasset apud Tyrios, & apud illos miracula fecisset, quæ fecit apud Judæos, Tyrii cum eadem interiori gratia, quam habuerunt Judæi, poenitentiam egissent: & ista æquivalens: Futura fuisset Tyriorum poenitentia pro tali tempore, si pro tali tempore futurum fuisset, ut Christus apud illos prædicaret, talia signa faceret, & talem interiori gratiam haberent. Imò prima propositio vera non est, nisi quia hæc duæ posteriores veræ sunt. Unde manifestum est Tyriorum poenitentiam habuisse futuribilitatem suam independentem à decreto divino, ut posito in statu conditionato. Contrarium tamen sentienti, negotium non facessimus.

Obj. 4. Scientia futuribilium non potest esse certa & infallibilis. Ergo non potest convenire Deo. *R. n. ant. Probabis.* Objectum hujus scientiæ contingens est & fallibile. Ergo & ipsa fallibilis est. *R. n. cont.* Nam scientia divina non sumit infallibilitatem suam ab objecto, sicut scientia creata; sed habet eam à perfectione intellectus divini, qui cum habet infinitam simpliciter in intelligendo perspicaciam, non solum necessaria, sed etiam contingentia & libera, ut sunt, eadem certitudine & infallibilitate cognoscit: omnia enim, ut sunt, sive necessaria, sive contingentia & libera, infinita claritate cognoscit. Deus igitur per scientiam futuribilium summa certitudine & infallibilitate cognoscit omnia contingentem & liberè futuribilia, & scientia futuribilium summam habet certitudinem & infallibilitatem; quantumvis objectum ejus, prout ad illam præsupponitur, sit contingentem & liberè, ac proinde fallibiliter futuribile. Dixi autem, prout ad illam præsupponitur: nam ratione prius, quam ab illa cognoscatur, est tantum fallibiliter futuribile; unde per illam cognoscitur directè ut futuribile, fallibiliter tantum. At ratione posterius, quam ab illa cognoscitur, est certè & infallibiliter futuribile: tanta enim certitudine & infallibilitate pro hoc rationis instanti futuribile est, quanta certitudine & infallibilitate cognoscitur esse futuribile: unde pro hoc rationis instanti per eandem illam scientiam reflexè cognoscitur ut futuribile certitudine & infallibilitate summa. Scientia igitur futuribilium objectum suum directè cognoscit, & quidem certè & infallibiliter præcisè ut contingentem & liberè futuribile; reflexè verò cognoscens se ipsam, reflexè cognoscit illud ut certè & infallibiliter futuribile.

Obj. 5. Absurdum est & inutile formare judicium hypotheticum de re aliqua, quando de eadem illa re habemus judicium absolutum in mente. Sic ineptus esset, qui videns solem lucere, diceret: Si sol lucret, viderem illum. Atqui Deus in cuius conspectu omnia nuda sunt & aperta, habet judicia absoluta de rebus omnibus. Sic ab æterno videt absolute Petrum ab ancilla interrogatum negare Christum. Item absolute videt Tyrios non agere poenitentiam, & apud eos non fieri miracula, quæ apud Judæos facta sunt. Ergo absurdum est & inutile, Deo attribuire judicia hypothetica, quibus judicet, quod si Petrus interrogaretur ab ancilla, negaret Christum, & quod Tyrii converterentur, si fierent apud illos miracula, quæ facta sunt apud Judæos.

R. 1. Deum non formare judicia, sive absoluta, sive hypothetica: nam hic modus intelligendi multiplicem involvit imperfectionem, quarum nulla in Deum cadere potest: sed simplici intuitu cognoscere veritatem judiciorum, sive hypotheticorum, sive absolutorum. Non est autem inconueniens Deum simul intueri veritatem judicii absoluti & hypothetici, quæ formari possunt circa rem eandem. Imò Deus intuens veritatem judicii absoluti, quod formari potest circa rem aliquam, non potest non intueri simul veritatem judicii hypothetici, quod circa rem eandem formari potest: nam veritas istius judicii connexa est cum veritate illius, & hæc tam cognoscibilis est, quam illa. Sic v. g. Deus intuens veritatem hujus judicii absoluti: Petrus interrogatus ab ancilla negabit Christum, non potest non intueri simul veritatem istius: Si Petrus interrogaretur ab ancilla, negaret Christum: nam veritas secundi connexa est cum veritate primi. Nec veritas primi priori jure cognoscibilis est, quam veritas secundi.

R. 2. dist. maj. Absurdum est & inutile formare judicium hypotheticum circa rem, circa quam habetur judicium absolutum, si hoc judicium habeatur antecedenter, transeat maj. Si habeatur consequenter tantum, N. maj. At judicium hypotheticum, quod Deus habet de re aliqua, eo scilicet modo quo habere potest, præsupponitur judicio absoluto, quod habet de eadem re eo modo quo habere potest. Sic Deus prius ratione cognoscit veritatem hujus propositionis conditionalis: Si Petrus interrogetur ab ancilla, negabit Christum: quam cognoscit veritatem istius absolute: Petrus interrogabitur ab ancilla, & negabit Christum. Nam cognitio primæ veritatis in Deo præsupponitur decreto, quod præsupponitur cognitioni secundæ veritatis; & secunda veritas dependet à decreto divino, à quo planè independens est prima veritas.

ARTICULUS IV.

Utrum scientia futuribilium dependeat à decretis absolutis ex parte actus, & conditionatis ex parte objecti.

*N*ota. Duplex distingui potest decretum conditionatum: unum scilicet conditionatum ex parte subjecti, & alterum conditionatum ex parte objecti tantum. Decretum conditionatum ex parte subjecti est illud, quod non est, sed esset, si esset aliqua conditio. Potest sic exprimi: Vellem producere duplo plures Angelos, si vellem creare alterum mundum. Decretum conditionatum ex parte objecti tantum, est illud quod re ipsa existit, unde dicitur absolutum ex parte actus; sed est de re tantum facienda dependenter ab aliqua conditione, unde dicitur conditionatum ex parte objecti. Potest sic exprimi: Volo ut Judas salvetur, si perseveret in gratia. Agnoscenda esse ejusmodi decreta, quæ re ipsa existunt, sed sunt de re tantum implenda sub conditione à creatura pendente, apud Catholicos indubitatum est. Talis est voluntas salvandi omnes homines, si rectè utantur mediis, sibi à Deo dandis; non delendi Sodomam, si in ea reperti fuerint triginta viri justi; exhibendi Christo plus quam duodecim legiones Angelorum, si ipse rogaverit; dandi Joæ plenissimam de hostibus victoriam, si septies terram hasta percussisset; donandi posteros omnes Adami iustitia originali, si ipse non peccaret, &c. De hujusmodi autem decretis hic non agitur, sed de aliis, quibus Thomistæ dicunt Deum decrevisse res aliquas tantum faciendas sub conditione aliqua pendente à solo Deo, & nunquam implenda. Tale est decretum, ut ajunt, quo Deus decrevit prædeterminare Tyrios ad poenitentiam, si Christum ad illos mitteret, quem tamen ad illos non mittere decrevit. De istiusmodi itaque decretis hic agitur, & queritur, utrum scientia futuribilium ab illis dependeat tanquam à causa futuribilitatis actuum

actuum liberorum, circa quam occupatur hæc scientia. Responsum negativum probabimus sequentibus Paragraphis. Sit itaque.

§. I.

Probatur ex Scriptura scientiam futuribilibus non dependere à decretis conditionatis in sensu Thomistico.

Matth. c. II. dicitur; *Vae tibi Corozaim, vae tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere poenitentiam egissent.* Quibus verbis Christus exprobat, & iuste exprobat Judæis impoenitentiam eorum, eosque objurgat, & iuste objurgat præ Tyriis & Sidoniis, quia nempe poenitentiam egissent cum iisdem gratiæ auxiliis tum externis, tum internis, quæ Judæi acceperunt, & quibuscum poenitentiam agere potuerunt, atque re ipsa egissent, si voluissent. Nam si Tyrii & Sidonii non fuissent acturi poenitentiam, nisi cum majoribus auxiliis, & à fortiori, si non fuissent poenitentiam acturi, nisi cum auxilio prædeterminante ad poenitentiam, & consequenter cum auxilio, quocum Judæi ipsi infallibiliter poenitentiam egissent, imò quocum Judæi ipsi non potuissent non agere poenitentiam in sensu composito, certè objurgatio Judæorum præ Tyriis & Sidoniis, facta à Christo, nec iusta fuisset, nec seria. Et verò num iuste & seriò dicere potuisset Christus: *Vae vobis, o Judæi, qui me prædicante & miracula patrant poenitentiam non agitis!* Nam Tyrii & Sidonii, si apud illos prædicarem, & eadem signa facerem, poenitentiam agerent cum uberiori interioris gratiæ auxilio, quod acciperent; vel: Nam si prædicarem, & eadem signa facerem apud Tyrios & Sidonios, poenitentiam agerent, ad eam agendam physicè prædeterminati à Patre meo, qui pro suo beneplacito decrevit illos ad poenitendum prædeterminare, si ad illos me mitteret. Potuissentne sine risu aliquo talis objurgatio excipi? At iuste & seriò dicere potuit Christus: *Vae vobis, o Judæi, qui, me prædicante & talia signa faciente, poenitentiam non agitis, qui si prædicarem, nec majora aut plura signa facerem apud Tyrios & Sidonios, cum æquali vel etiam minori interioris gratiæ adjutorio, magnæ humilitatis poenitentiam agerent.* Ex his autem

Argumentor sic. Objurgatio Judæorum præ Tyriis & Sidoniis, facta à Christo, fuit iusta & seria. Ergo Judæi ad poenitentiam agendam habuerunt eadem, vel etiam majora gratiæ auxilia, quam Tyrii & Sidonii habuissent, qui tamen cum iisdem, vel etiam minoribus gratiæ auxiliis non solum potuissent agere, sed etiam re ipsa egissent poenitentiam. Ergo Tyrii & Sidonii poenitentiam agere potuissent, & egissent sine auxilio prædeterminante, quo certè auxilio caruerunt Judæi: nam si illud accepissent, poenitentiam egissent. Ergo decretum illud, quo dicunt Thomistæ Deum Tyrios & Sidonios ad poenitentiam physicè prædeterminare voluisse, si Christum ad illos mitteret, gratis confictum est.

Nec dic, 1. gratiam prædeterminantem se tenere ex parte actus secundæ tantum. Nam si se teneat ex parte actus primi, ut non difficilè probari posset, si se teneat ex parte actus secundæ tantum, semper est virtus & auxilium, distinctum ab omnibus aliis ad actum salutarem concurrentibus. Unde semper sequitur, quòd si Tyrii & Sidonii non acturi fuissent poenitentiam sine gratia prædeterminante, qua Judæi caruerunt, non fuissent acturi poenitentiam cum æquali aut minori adjutorio, sed cum majori tantum, quocum ipsi etiam Judæi poenitentiam egissent. Quo posito, nec iusta, nec seria potuit esse objurgatio Judæorum præ Tyriis & Sidoniis.

Nec dic, 2. Judæos caruisse quidem gratia prædeterminante, sed sua culpa caruisse, quia potuerunt eam habere, eamque habuissent, nisi gratiæ prævenienti restitissent; vel, si vis, si sese à gratia præ-

Simonnet Theol. Tom. I.

veniente moveri svisissent. Itaque propter resistantiam, non positivam, sed negativam, gratia prædeterminante privati sunt, proindeque hanc privationem sibi imputare debuerunt. Nam 1. hæc resistential negativa est planè inintelligibilis, & videtur merum esse subterfugium. 2. Dicere, quòd in potestate libera hominis sit accipere vel non accipere gratiam efficacem, quam esse gratiam prædeterminantem volunt Thomistæ, è diametro pugnat cum doctrina S. Augustini, juxta quem gratiæ efficacis collatio pendet ex mero beneplacito Dei, qui cuius vult miseretur, & quem vult indurat, & consequenter unum, quia vult, vocat quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat, & alium, quia non vult, non sic vocat. Sed de his aliis.

Denique sic adhuc argumentor contra Thomistas. Tunc nec iusta, nec seria est objurgatio unius præ alio, cum is, qui objurgatur, se vituperabilem reddidit in iis circumstantiis, in quibus alter se vituperabilem redderet, & è contrà se laudabilem redderet in iis circumstantiis, in quibus alter se reddidit laudabilem. Patet ex terminis. Atqui in systemate Thomistico Judæi se vituperabiles reddunt in iis circumstantiis, in quibus se etiam vituperabiles redderent Tyrii & Sidonii, & è contrà se laudabiles reddunt in iis circumstantiis, in quibus se redderent laudabiles Tyrii & Sidonii. Nam Tyrii & Sidonii non magis egissent poenitentiam, quam Judæi, si pariter destituti fuissent gratia prædeterminante; & è contrà Judæi tam egissent poenitentiam, quam acturi erant Tyrii & Sidonii, si pariter gratiæ prædeterminantis auxilio instructi fuissent. Ergo in systemate Thomistico nec iusta nec seria esse potuit objurgatio Judæorum præ Tyriis & Sidoniis, proindeque hoc systema deferendum est, & rejiciendum illud decretum, quo Deus dicitur voluisse Tyrios & Sidonios prædeterminare ad poenitentiam, si Christum ad illos mitteret; præsertim cum ejusmodi decretorum nullum in Scriptura, aut Patribus extet vestigium.

Obj. 1. Ex his Apostoli verbis 1. Cor. c. 4. *Quis se discernit? quid habes, quod non accepisti?* ostenditur primam radicem discretionis, qua is qui bene operatur, discernitur ab illo, qui malè operatur, esse ipsum Deum, non liberum hominis arbitrium. Atqui admissa scientia futuribilibus, independente à decretis absolutis ex parte actus, & conditionatis ex parte objecti, homo, non Deus, est prima radix hujus discretionis in statu conditionato. Ergo, &c. R. n. min. Nam in statu conditionato nec datur, nec dari potest discretio unius ab alio, tanquam boni à malo. 1. Enim ex eo quòd unus converteretur, & alter non converteretur, si poneretur aliqua conditio, non sequitur quòd unus sit bonus, & alter malus; sed tantum quòd unus esset bonus, & alter malus, posita aliqua conditione, & ita quòd, posita aliqua conditione, unus ab alio discerneretur. 2. Qui converteretur, si poneretur aliqua conditio, non converteretur, si poneretur alia; & è contrà qui non converteretur, si poneretur conditio, qua posita, converteretur alius; converteretur, si poneretur alia conditio, qua posita alius non converteretur. Unde quandiu hæretur in statu conditionato, neuter potius est bonus, quam malus, aut potius malus, quam bonus; & ita quandiu hæretur in statu conditionato, neuter ab alio discernitur, sed est æqua utriusque conditio. 2. Ex duobus, quorum unus bene agit, & alius malè agit, unus ab alio discernitur, tanquam bonus à malo; & tamen qui bene agit, malè ageret, si non adjuvaretur tali auxilio, & è contrà qui malè agit, bene ageret, si alio auxilio adjuvaretur. Ergo unus ab alio, tanquam boni à malo, discretio non fit in statu conditionato, sed in absoluto tantum.

Præterea, etiam si concederem, in statu conditionato fieri aliquam discretionem unius ab alio, tanquam boni à malo, tamen in mea hypothesi hæc discretio non esset à voluntate humana sola, sed à

voluntate humana, & gratia: esset enim à conditione, conditio autem præter voluntatem humanam includit gratiam. Imò hæc discretio ita esset à voluntate humana & à gratia, ut in illa primas sibi partes jure merito vindicaret gratia: nam conditio includit voluntatem, ut causam inferiorem, subalternatam, nec acturam nisi præmotam; gratiam verò ut causam superiorem, subalternantem, & non movendam, sed moturam, posita conditione. Unde hæc qualiscumque discretio, esset tantum à voluntate ut causa inferiore, subalternata, &c. esset verò à gratia ut causa superiore, subalternante, non movenda, sed motura, & ita natura prius influxura in actum salutarem, posita conditione. Unde sequitur, quod in mea hypothese discretio illa, in statu conditionato existens, esset à gratia, tanquam à prima radice.

Dices. In nostra hypothese homo in statu conditionato positus, primò transferret actum bonum à statu meræ possibilitatis ad statum aliquem futurationis, nempe ad futurationem conditionatam. Ergo in illo statu se primò discerneret. *R. n. ant.* Nam 1. si in statu conditionato fieret aliqua translatio à statu meræ possibilitatis ad statum aliquem futurationis, hæc translatio, ut patet ex modò dictis, esset primò à gratia, non ab hominis voluntate, quia esset à gratia ut causa superiore, subalternante, non movenda, sed motura, & consequenter ut natura prius influxura, posita conditione. 2. In statu conditionato nulla sit translatio. Nam si sit, vel actione possibili, vel actione actuali, vel actione futuribili, Non primum. Nam transferre actione possibili, nihil aliud est, quam posse transferre. Non secundum. Nam in statu conditionato pendet conditio, quæ actioni actuali præsupponitur. At pendente conditione, actioni actuali præsupposita, nec est, nec potest esse actualis actio. Non tertium. Nam transferre actione futuribili, nihil aliud est, quam translaturum esse, si aliquando ponenda esset aliqua conditio.

3. Itaque independenter ab omni translatione, quæ sit vel ab homine, vel à Deo per decretum absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte objecti, actus aliquis non solum possibilis, sed etiam futuribilis est, hoc ipso quod verum est dicere. Non solum posset esse, sed etiam esset, si poneretur talis conditio; vel, si vis, hoc ipso præcisè quod, posita conditione, non solum posset esse, sed etiam revera esset. Sic ut penitentia Tyriorum esset futuribilis, necesse non fuit ut à statu meræ possibilitatis ad statum aliquem futurationis transferretur vel à Tyriis ipsis, vel à Deo decernente illos ad penitentiam prædeterminare, aut quocumque alio modo efficaciter movere, si Christum ad illos mitteret; sed satis fuit, quod, Christo apud Tyrios prædicante, & signa faciente, quæ fecerat apud Judæos, Tyrii non solum potuissent, sed etiam se ipsa voluissent agere penitentiam: hoc ipso enim verum est, futurum fuisse, ut Tyrii penitentiam agerent, si futurum fuisset, ut Christus apud illos prædicaret; & verè dici potest: Futura fuisset penitentia Tyriorum, si futura fuisset apud illos prædicatio Christi; & è contrà non nisi falsò diceretur: Penitentia Tyriorum non fuisset futura, etiam si prædicatio Christi apud illos futura fuisset. Quod est, Tyriorum penitentiam non solum possibilem, sed etiam futuribilem fuisse, & ita non fuisse merè possibilem.

Obj. 2. In hypothese scientiæ futuribilium, independentis à decreto absoluto ex parte actus, & conditionato ex parte objecti, falsum est illud à Christo dictum Joan. c. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Atqui hoc non potest admitti. Ergo, &c. *Prob. maj.* In hac enim hypothese Deus, antequam eligat Petrum ad conversionem, debet independenter ab omni decreto suo actu existente prævidere, quod Petrus converteretur, si præveniretur tali auxilio gratiæ. Atqui conversio illa Petri, in-

dependenter ab omni decreto divino actu existente, & sub sola conditione talis gratiæ futuribilis, est electio quædam, qua Petrus Deum eligit convertendo se ad illum, & qua proinde prius eligit Deum in statu conditionato, quam ab eo eligatur in statu absoluto. Ergo falsum erit, quod Christus dicit, *Non vos, &c.*

R. n. maj. *Ad prob.* N. min. Nam per illam conversionem, independenter ab omni decreto divino actu existente, & sub sola conditione talis gratiæ futuribilem, Petrus nullatenus actu convertitur ad Deum. Aliud enim est actu converti, & aliud conversum iri, si poneretur aliqua conditio: quandiu enim pendet conditio, tandiu pendet effectus ejus, & ita quandiu nec est, nec futura est conditio, tandiu nec est, nec futurus est effectus ejus. Pro illo autem priori ad omnia decreta divina, pro quo verum est dicere, Converteretur Petrus, si tali gratia præveniretur, ac proinde pro quo Deus prævidet, quod converteretur Petrus, si tali gratia præveniretur, adhuc pendet conditio, nec est, nec futura est conditio. Ergo pro illo priori adhuc pendet conversio Petri, nec est, nec futura est conversio Petri. Ergo pro illo priori, pro quo est solus status conditionatus, Petrus non eligit Deum, imò nec electus est. Sed ab utroque præcindit saltem, sicut saltem præcindit à conversione sua, non solum ut præsentis, sed etiam ut futura. At verò pro posteriori instanti, pro quo sunt decreta divina, ac proinde pro quo, ut supponitur, Deus daturus est talem gratiam Petro, futurum est, ut Petrus convertatur, & ita futurum est, ut Petrus per conversionem suam eligat Deum. Sed quia non converteretur, nisi quia à Deo ex pura misericordia præveniretur tali gratia, nec præveniretur tali gratia à Deo, nisi quia à Deo ex pura misericordia ab æterno ad conversionem electus fuit, non est prius electus Deum per conversionem suam, quam ab eo ad illam electus fuerit; imò non est electus Deum per conversionem suam, nisi quia prius à Deo misericorditer ad eam electus est.

Obj. 3. Decreta absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte objecti, sunt omnino consentanea sacris Scripturis. Ergo convenienter dicitur, scientiam futuribilium nisi decretis ejusmodi. *R.* sacris Scripturis planè consona esse decreta absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte objecti, quæ sunt de re aliqua tantum ponenda sub conditione pendente à creatura, quale est istud: Volo salvare Judam, si perseveret in gratia. At decretorum absolutorum ex parte actus, & conditionatorum ex parte objecti, quæ sunt de re aliqua tantum ponenda sub conditione pendente à solo Deo, & nunquam implenda, quale fingitur istud: Volo prædeterminare Tyrios ad penitentiam, si mittam ad illos Christum meum; nullum unquam reperietur vestigium in Scripturis divinis, nec ab existentia aliorum concludi potest ad eorum existentiam; cum sint disparata, nec ad rationem providentiæ pertineant, sicut alia, & ad extra nihil planè operentur, nisi quod utcumque subveniunt Thomistis laborantibus in eludenda argumentorum nostrorum efficacia.

§. I I.

Probatur ex S. Augustino dari in Deo scientiam futuribilium, ab omni decreto actu existente independentem.

S. Augustinus lib. 1. ad Simplicianum q. 2. sic loquitur de iis, qui vocati non veniunt, hoc est, qui vocationi resistunt: *Si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent, & sequerentur.* Et paulò post de iis, qui vocationi consentiunt: *Et si multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur; & inferitis: Cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.*

Unde

Unde sic argumentor. Ex S. Augustino Deus certò & infallibiliter novit, quomodo quisque vocandus sit, ut vocantem non respiciat, sed ut & moveatur, & intelligat, & sequatur. Sed hæc est scientia futuribilium independens ab omni decreto divino, actu existente. Ergo ex S. Augustino datur in Deo scientia futuribilium, ab omni decreto divino, actu existente, independens.

Tota difficultas est in minore, & prob. Nam 1. hæc scientia, qua Deus certò & infallibiliter novit quomodo, &c. vel est scientia simplicis intelligentiæ, vel scientia visionis, vel denique scientia futuribilium. Non primum. Nam scientia simplicis intelligentiæ versatur tantum circa possibilia ut sic, & necessariò futuribilia sub aliqua conditione includente causam necessariam, cum effectu suo necessariò connexam. Unde scientia simplicis intelligentiæ non versatur circa vocationem congruam, & consensum voluntatis liberum, nisi ut possibiles. Non secundum. Nam scientia visionis est scientia rerum existentium ut sic. Unde versatur circa vocationem congruam & consensum voluntatis, ut existentia pro aliqua differentia temporis. Præterea, scientia visionis supponit in Deo decretum absolutum vocandi congruè, & ab eo suo modo dependet. At scientia, de qua hic agitur, præsupponitur huic decreto, illudque dirigit, præter quàm quòd est in Deo etiam respectu illorum, quos non decrevit Deus vocare congruè; est enim in Deo etiam respectu illorum, qui vocati non veniunt. Ergo tertium dicendum est, nempe quòd hæc scientia, qua Deus certò & infallibiliter novit, quomodo quisque vocandus sit, ut vocantem non respiciat, sit scientia futuribilium, qua scilicet Deus certò & infallibiliter præcitat, hominem liberè & contingenter secuturum esse vocationem, si tali modo vocetur. Hæc enim scientia non est scientia, qua Deus novit vocationem ita congruere homini, ut vocantem non possit respicere, vocantem non possit non sequi; sed qua præcisè novit vocationem homini ita congruere, ut, si ita vocetur, vocantem non sit contempturus, vocantem sit secuturus; quamvis possit, si veller, non sequi, & respicere.

2. Hæc futuribilium scientia, secundum mentem S. Doctoris, est planè independens ab omni decreto actu existente. Nam si dependet ab aliquo decreto actu existente, vel à decreto absoluto tum ex parte subjecti, tum ex parte objecti, quo Deus eos, quorum miseretur, decrevit vocare, quomodo eis aptum est, ut vocantem sequantur; vel à decreto absoluto ex parte subjecti, & conditionato ex parte objecti, quo Deus decrevit sub aliqua conditione, ab ipso solo pendente, & nunquam ponenda, eos, quorum non miseretur, & sub aliqua conditione, item ab ipso solo pendente, sed ponenda aliquando, eos, quorum miseretur, vocare, quomodo illis aptum est, ut sequantur vocantem. Neutrum dici potest. Non primum. Nam tali decreto, juxta S. Doctorem, scientia futuribilium præluet, eique proinde præsupponitur. Præterea, ex eodem Doctore scientia illa est in Deo etiam respectu eorum, quorum non miseretur Deus, ac proinde respectu eorum, ad quos tale decretum non pertinet. Non etiam secundum. Nam decretorum de re ponenda sub conditione aliqua, à solo Deo dependente, sive aliquando, sive nunquam ponenda, nullum in S. Augustino vestigium reperies. Adde ejusmodi decreta fore planè inutilia, & respectu eorum, quorum Deus non miseretur, quia nihil circa illos operantur; & respectu illorum, quorum miseretur Deus, quia illis sufficit decretum absolutum. Deinde ponere in Deo decretum de danda vocatione sub conditione aliqua, ab ipso solo Deo pendente, cum decreto absoluto de eadem vocatione danda, satis frigidum & ineptum est.

Simonet Theol. Tom. I.

Præterea, hæc futuribilium scientia, secundum Augustinum, est ea, qua Deus certò & infallibiliter novit, homini, si ita vocetur, vocationem sic aptam fore, ut vocantem sit secuturus: est enim, quod idem est, secundum Augustinum, scientia, qua Deus certò & infallibiliter novit, quomodo homini vocari aptum est, ut vocantem liberè sequatur. Ergo, secundum Augustinum, hujus scientiæ futuribilium objectum est libera connexio consensus voluntatis cum talitate vocationis, ut posita in statu conditionato; vel si vis, est talitas vocationis, posita in statu conditionato, liberè connexa cum consensu voluntatis, unde resultat hæc veritas: Si homo ita vocaretur in talibus circumstantiis, hæc vocatio ita illi apta esset, & congrueret, ut vocantem liberè sequeretur: cujus veritatis, ut per se manifestum est, conditionem sequitur scientia futuribilium, quæ circa illam occupatur: ita ut si hæc veritas dependeat ab aliquo decreto actu existente, ab eodem dependeat scientia futuribilium; si verò hæc veritas sit independens ab omni decreto actu existente, à nullo pariter sit independens scientia futuribilium. Ex his autem

Argumentor sic. Scientia futuribilium, quam S. Augustinus agnoscit in Deo, non magis dependet ab aliquo decreto actu existente, quàm hæc veritas, Si homo ita vocaretur, &c. Atqui hæc veritas à nullo decreto actu existente dependet. Ergo nec scientia futuribilium, quam agnoscit S. Augustinus. *Prob. min.* Hæc veritas, Si homo ita vocaretur, &c. fundatur in talitate, seu aptitudine vocationis, vi cujus talis vocatio, in statu conditionato posita, connexa est cum consensu voluntatis humanæ. Ergo hæc veritas, Si homo ita vocaretur, &c. non magis dependet à decreto aliquo actu existente, quàm talitas illa seu aptitudo vocationis, qua posita, sequeretur consensus voluntatis humanæ. Atqui talitas illa seu aptitudo vocationis, &c. est planè independens ab omni decreto actu existente, non quidem quantum ad existentiam, de qua hic non agitur, sed quantum ad rationem & veritatem objectivam. Sive enim Deus decernat aliquid vel absolute, vel conditionatè circa hanc vocationem, sive non, semper est talis vocatio, sic apta vocatio, ut ea posita, liberè sequeretur consensus. Ergo hæc veritas, Si homo ita vocaretur, &c. ab omni decreto actu existente omnino independens est, & consequenter ipsa scientia, quæ circa illam versatur, &c. ea suo modo existente, non potest in Deo non esse.

Nec juvat dicere, vocationem, quam novit Deus sic homini aptam fore, ut si ita vocaretur, vocantem sequeretur, esse, in mente S. Augustini, vocationem ex natura sua efficacem. Nam 1. hoc repugnat doctrinæ Thomistarum, qui efficaciam vocationis, non in ipsa vocatione, sed in auxilio ei superaddito constituunt. 2. Vocatio ex natura sua efficax, fuit ignota S. Augustino, ut suo loco ostendetur. 3. Vocatio illa ex natura sua efficax, vel est necessariò connexa cum consensu, vel contingenter tantum & liberè. Si primum. Hæc vocatio non est gratia ab Augustino, sed à Lutero & Calvino asserta, & consequenter vocatio, quam Deus scit homini ita congruere, ut si ea vocaretur, vocantem sequeretur, non est secundum Augustinum, sed secundum Lutherum & Calvinum vocatio ex natura sua efficax. Si secundum. Pugnantiæ dicuntur. Nam vocationem esse ex natura sua efficacem, & tamen non esse connexam cum consensu voluntatis, nisi contingenter & liberè, inter se manifestè pugnant. Si enim vocatio illa est ex natura sua efficax, tam repugnat non existere consensum, illa existente, quàm repugnat illam simul existere, & non existere; vel si vis, quàm repugnat illam sine natura sua, hoc est, sine se ipsa existere. Nec dic vocationem illam dici ex natura sua efficacem, quia morali necessitate conjuncta est cum consensu. Nam 1. hæc morali necessitas vel talis est,

E 4

ut

ut cum ea nunquam conjungatur dissensus; & tunc est re ipsa necessitas physica, nec est moralis necessitas, nisi voce tenus; vel talis est, ut cum ea dissensus possit conjungi, & quandoque conjungatur, quamvis difficile, & tunc non impedit quidem contingentem & liberam connexionem vocationis cum consensu, sed non nisi abusive dicitur constituere vocationem ex natura sua efficacem, & semper habemus intentum nostrum, nempe quod S. Augustinus agnoverit in Deo independentem ab omni decreto actuali scientiam futuribilem, qua Deus certò & infallibiliter novit, quid quilibet homo contingenter & liberè acturus aut non acturus esset, utrum scilicet vocantem secuturus, an non secuturus esset, si tali vocatione vocaretur, quantumvis sic vocatus posset vocantem sequi, vel non sequi pro arbitrio etiam in sensu composito vocationis.

Obj. 1. S. Augustinus lib. de præd. Sanct. c. 10. sic loquitur: *Prædestinatione quippe Deus ea præcivit, quæ fuerat ipse facturus.* Atqui S. Doctor hic nomine prædestinationis intelligit decretum absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte objecti; & nomine præscientiæ, qua dicit Deum præcivisse quæ fuerat ipse facturus, intelligit scientiam, qua Deus dependenter ab hoc decreto novit actus liberos futuribiles. Ergo, &c. R. n. subsumptum quoad utramque partem. Nam 1. S. Doctor nomine prædestinationis intelligit absolutam & efficacem præparationem mediocum, quæ electis dantur in tempore, & quibuscum salutem certò & infallibiliter consequuntur. Hanc enim prædestinationem lib. de bono perlev. c. 14. *Præscientiam & præparationem beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur, definit, & docet pertinere ad solos electos; sic enim prosequitur: Ceteri autem, nempe non electi, ubi nisi in massa perditionis iusto divino iudicio relinquuntur, ubi Tyrii relictii sunt & Sidonii, qui etiam credere potuerunt (siquidem re ipsa credidissent,) si mira illa, &c.* Itaque juxta S. Doctorem, reprobi, puta Tyrii & Sidonii, ad prædestinationem illam, de qua tractat lib. de præd. Sanct. & lib. de bono perseverantia, nullatenus pertinent, aut pertingunt, & tamen secundum Thomistas penitentia Tyriorum & Sidoniorum à Deo decreta fuerat sub conditione. Unde sequitur manifestè, prædestinationem illam, de qua tractat S. Augustinus libris citatis, aliam prorsus esse à decretis absolutis ex parte actus, & conditionatis ex parte objecti, ad quæ confugiunt Thomistæ.

2. S. Augustinus nomine præscientiæ, quam fundat in prædestinatione, intellexit præscientiam absolutam, qua Deus ab æterno præcivit, quæ fuit ipse facturus in tempore, nempe opera salutaria electorum, quæ facit, faciendo ut fiant ab electis: nam, ut S. Doctor ibidem docet, Deus facit nostra bona opera, faciendo, ut ea faciamus; facit autem, juxta mentem S. Doctoris, ut patet ex verbis ejus ad Simplicianum supra laudatis, facit, inquam, ut faciamus, vocando nos, quomodo nobis aptum est ut velinus facere, & faciamus. Hanc porro absolutam præscientiam bonorum operum fundat in prædestinatione S. Doctor, quia in tantum à Deo absolute præsciuntur bona opera, in quantum futura sunt; in tantum futura sunt, in quantum à Deo sunt misericorditer preparata & prædestinata, hoc est, in quantum ex speciali & purè liberali erga electos benevolentia electis preparavit & prædestinavit Deus vocationes congruas, & auxilia gratiæ efficacia, quibuscum fidei & aliarum virtutum actus salutare exercituri sunt in tempore.

Ex hac autem doctrina duo efficit S. Doctor. 1. Deum non de nostro, sed de suo præcivisse opera nostra salutaria, hoc est, Deum præscientiam operum nostrorum salutarium, quam habet, non debere nobis, seu viribus arbitrii nostri, sed sibi, seu gratiæ suæ prædestinationi, qua arbitrio nostro de se ad bonum faciendum insufficienti, misericorditer preparavit auxilia, non qualiacumque, sed congrua

& efficacia. 2. Et ita opera nostra salutaria esse dona Dei, utpote ab eo non tantum absolute præcivisse, sed etiam preparata & prædestinata in æternitate, & in tempore facta tanquam à faciente per vocationem congruam ut faciamus: cum è contra mala hominum opera sint à Deo præcivisse tantum, non prædestinata, & ita Deus mala nostra opera præcivisse absolute, non de suo, seu de sua prædestinatione, sed de nostro, seu de nostro arbitrio liberè à regula morum defecturo: Deo illud ad faciendum neque prædestinante in æternitate, neque impellente in tempore. Unde nobis, & nullatenus Deo, mala nostra opera imputare debemus.

Dices. Verba illa, *quæ fuerat ipse facturus*, manifestè significant S. Doctorem loqui de operibus, non futuris, sed futuribilibus, & consequenter non de scientia absoluta, sed de conditionali. R. ad hanc instant. S. Augustinus per hæc verba, *quæ fuerat ipse facturus*, idem intelligere, cum ait: *Prædestinatione Deus ea præcivit, quæ fuerat ipse facturus*, ac intelligit, cum inferius eodem cap. dicit: *Quando promissit Deus Abraha in semine ejus fidem gentium, dicens, Patrem multarum gentium posui te promissit, quod ipse facturus fuerat.* At hic manifestè per illud, *quod ipse facturus fuerat*, intelligit rem absolute futuram, nempe conversionem Gentilium ad fidem, per Christum faciendam. Ergo, &c. Similiter cum ait: *Prædestinatione Deus ea præcivit, quæ fuerat ipse facturus*, intelligit opera electorum salutaria, absolute futura, utpote à Deo preparata & prædestinata; quare statim subiungit: *Unde dictum est: Fecit, quæ futura sunt.* Denique cum S. Doctor dicit, *Prædestinatione Deus ea præcivit, quæ fuerat ipse facturus*, perinde est ac si diceret: *Prædestinatione Deus ea præcivit, quæ ipse decreverat facere.* At certè, quæ simpliciter decreverat facere, & quæ re ipsa erat facturus, quia simpliciter decreverat ea facere, erant non conditionatè, sed absolute futura.

Obj. 2. S. Augustinus eod. lib. de præd. Sanct. c. 9. referens illud, quod in lib. contra Porphyrium dixerat, videlicet tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri; hæc addit: *Cernitis me sine præjudicio latentis consilii Dei, aliarumque causarum, hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincendo paganos infidelitatis, qui hanc objecerant questionem, sufficere videretur? Quid enim est verius, quam præcivisse Christum, qui, & quando, & quibus locis in eum fuerant credituri? Sed utrum, prædicato sibi Christo, à se ipsis habituri essent fidem, an, Deo donante, sumpturi; id est, utrum tantummodo eos præcivisset, an etiam prædestinaverit Deus, querere ac differere tunc necessarium non putavi.* Ex his autem

Hoc eruitur argumentum. S. Aug. in lib. contra Porphyrium, cum scriberet, tunc voluisse apparere hominibus Christum, quando sciebat, &c. intelligebat conditionalem scientiam, qua Christus noverat, quinam, quando, & ubi in eum credituri essent, si eis prædicaret. Et ut ipse testatur in lib. de præd. Sanct. c. 9. verbis laudatis, hoc scribebat sine præjudicio latentis consilii Dei. Atqui S. Augustinus per illud latens consilium Dei, cui præjudicare non intendebat, intelligit decretum absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte objecti, quo sub conditione à se ipso solo pendente decreverat, quinam, quando & ubi physicè prædeterminandi essent ad credendum, & ita quinam, quando, & ubi essent credituri in Christum. Ergo sensit S. Augustinus scientiam conditionalium seu futuribilem pendere ab hoc decreto.

R. n. min. Itaque S. Augustinus, sive loquatur de scientia conditionalis Christi, sive, quod verius est, de absoluta, verbis laudatis ex libro contra Porphyrium, per latens illud consilium, cui præjudicare non intendit, certò certius intelligit prædestinationem

tionem illam, qua ab aeterno & ex pura misericordia praepravit Deus electis media ad salutem consequendam efficacia, proindeque statuit eos vocare ad fidem, quomodo sciebat eis congruere, ut vocantem non respuerent, sed ut & moverentur, & intelligerent, & sequerentur, amplectendo doctrinam evangelicam, ceteris omnibus relictis in massa perditionis. Nam ut probet se sine praedictio latens consilii Dei dixisse, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos predicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat, qui in eum fuerant credituri, observat cap. citato lib. de praed. Sanct. se tunc querere & differere noluisse, utrum, predicato sibi Christo, a se ipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, id est, utrum tantummodo eos praescierit, an etiam praedestinaverit Deus; & quod subintelligi debet, multo minus asseruisse, quod, predicato sibi Christo, a se ipsis fidem habituri essent, non Deo donante sumpturi, & quod eos tantummodo praescierit Deus, non etiam praedestinaverit. Unde concludit id quod dixit, respondendo tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos predicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat, qui in eum fuerant credituri, non pugnare cum latente illo consilio, quo Deus ab aeterno misericorditer elegit, praedestinavit, & liberare statuit eos, qui reipia credunt Evangelio, & credentes salvantur, ceteris omnibus iusto sed occulto iudicio in massa perditionis relictis. Unde stante veritate responsionis suae, adhuc responderi potuisset, tunc voluisse hominibus apparere Christum, quando sciebat, & ubi sciebat esse eos, quos Deus ab aeterno elegerat, & a massa perditionis liberare statuerat, donando eis fidem, & in fide, quae per dilectionem operatur, perseverantiam, atque ad hunc finem illis ab aeterno misericorditer praepraverat congrua gratiae, auxilia tum interna tum externa, ac proinde & ipsam doctrinam Christianae praedicationem. Proinde quod dixi, inquit S. Doctor, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos predicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri, posset etiam sic dici, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos predicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso, ante mundi constitutionem. Ex quibus postremis verbis vides latens consilium Dei, cui noluit praedicare S. Doctor in libro contra Porphyrium, quod expressit Apostolus, cum dixit Ephes. c. 1. Elegit nos in ipso (Christo) ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius, juxta S. Doctorem electionem esse. Haec autem electio est gratuita voluntas, qua Deus absolute & efficaciter voluit certos homines, ceteris in massa perditionis relictis, ad sanitatem, & vitae puritatem, cum finali perseverantia conjunctam pervenire, ut ipse Augustinus interpretatur.

Dices, apud Augustinum, Deum solummodo praescivisse fidem hominum futuram, & homines illam habituros esse a se; item homines non habere fidem, nisi Deo illam donante; & Deum eorum fidem non solum praescivisse, sed etiam praedestinasse, qui convertuntur. Atqui homines nec in statu absoluto nec in conditionato fidem habent aut habituri sunt a se ipsis, sed in utroque statu habent aut habituri sunt, Deo donante. Ergo in utroque statu non solum praescitur eorum fides, sed etiam praedestinatur, & ita in utroque statu non praescitur, nisi dependenter à decreto absoluto tum ex parte actus, tum ex parte objecti pro statu absoluto, item absoluto ex parte actus, sed conditionato ex parte objecti pro statu conditionato.

R. 1. c. min. quantum ad statum absolutum. Nam revera multi homines habent & habituri sunt in statu absoluto fidem. Unde illam habent & habituri sunt vel à se, hoc est, ex solis arbitrii viribus, vel Deo donante, hoc est, ex viribus gratiae congruae, illis ab aeterno gratuito & misericorditer praepratae

à Deo, illosque in tempore vocantis & vocaturae ad fidem, quomodo eis aptum est, & erit ut credant. Primum autem fidei repugnat. Superest ergo ut dicatur homines nec habere, nec habituros esse fidem in statu absoluto, nisi Deo donante, hoc est, nisi quia Deus ex pura misericordia facit, & faciet ut credant, ex pura misericordia vocando illos ad fidem quomodo se eis congruere, ut vocantem non repugnant, sed credendo sequantur. Unde sequitur, secundum Augustinum, & rei veritatem, fidem, & alia opera salutaria in statu absoluto, hoc est, absolute futura, non modo praescita esse à Deo, sed etiam praedestinata, & praescita esse à Deo, quia ab eo sunt praedestinata. Nam, ut dicit S. Doctor lib. de bono persev. c. 17. si fides & alia opera salutaria negantur esse à Deo praedestinata, nec dantur à Deo, aut ea se daturum esse nescivit. Quod si & dantur, & ea se daturum esse praescivit, profecto praedestinavit. Sed

R. 2. n. min. quantum ad statum conditionatum. Nam quantum ad hunc statum, est de subiecto non supponente. Homines enim nec habent, nec habituri sunt fidem, aut alia opera salutaria in statu conditionato, quia in statu conditionato nihil verè attribui potest hominibus, nisi sub conditione, tandiu pendente, quandiu in statu conditionato sistitur: nisi enim fiat transitus à statu conditionato ad absolutum, non ponitur conditio pro ulla temporis differentia, & tandiu pendet, quandiu pro nulla differentia temporis ponitur. Quandiu autem pendet conditio, sub qua aliquid esset, aut futurum esset, tandiu nihil est, aut futurum est, & nihil præter hanc veritatem objectivam habetur: Hoc esset, aut futurum esset, si esset, aut futura esset talis conditio. Unde quandiu sistitur in statu conditionato, homines nec habent, nec habere possunt fidem, Deo donante, sed solum de illis verè dicitur: Habent fidem Deo donante, si eos tali modo vocaret ad credendum, habituri essent fidem Deo donante, si Deus praedestinaret illos ad credendum, hoc est, si Deus praepraret illis talem vocationem. Ex quibus apparet conditionalem scientiam, quae circa has veritates conditionales occupatur, sive, quod idem est, scientiam operum salutarium hominis ut futuribilem, aut nullatenus pendere à praedestinatione divina, aut ad summum non pendere à praedestinatione divina, nisi ut possibili & supposita existere, seu, quod idem est, à praedestinatione divina, nisi ut possibili, & in statu conditionato considerata.

Obi. 3. Illud Dei propositum, pro quo S. Augustinus tam acriter pugnavit contra Semipelagianos, est saltem decretum absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte objecti, quo nititur scientia futuribilem. R. nihil alienum magis à mente S. Doctoris excogitari potuisse. Nam ut manifestum est ex libris de corr. & grat. & ex libris de praed. Sanct. & de bono persev. propositum illud, pro quo contra Semipelagianos pugnabat S. Augustinus, pertinet ad solos praedestinos, & est voluntas absoluta & efficax, qua Deus ab aeterno ante provisionem absolutam omnium meritum & demeritorum personalium, & post solam originalis culpae absolutam provisionem, quos voluit, ex pura misericordia statuit liberare à massa perditionis, reliquis omnibus in eadem massa relictis, hoc est, quos voluit, ex pura misericordia elegit, ut essent sancti & immaculati in conspectu ejus, & quidem sanctitate & puritate, per finalem perseverantiam consummandam, ceteris negativè rejectis, seu non electis, in vindictam culpae originalis. Haec autem doctrina plurimum displicebat Massiliensibus, ut Augustino narrat Prosper in sua ad eum epistola, quae extat ante lib. de praed. Sanct. Multi, inquit, servorum Christi, qui in Massiliensi urbe consistunt, in sanctitatis tuae scriptis, quae adversus Pelagianos haereticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni, & ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione electorum

itorum secundum Dei propositum disputasti. Et inferiorius sic profequitur: *Hæc ipsorum definitio ac professio est . . . hoc propositum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumelie sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem temporis afferre, &c.* Ex his vides quale fuerit illud propositum, de quo tam acris Augustinum inter & Pelagianos controversia, & quo tantoperè offendebarur Massilienses, nempe beneplacitum voluntatis divinæ absolutum ex omni parte, quo ante mundi constitutionem efficax facta est discretio certorum hominum, qui electi vocantur, à cæteris, qui dicuntur reprobi, vi cujus discretionis, primi in tempore ita vocantur, ut fiant vasa honoris, cæteri verò non ita vocari, & in hoc sensu neglecti & rejecti, permittuntur esse vasa contumelie.

Obj. 4. S. Augustinus improbavit in Semipelagianis scientiam futuribilem, independentem ab omni decreto actu existente. *R.* hoc esse manifestè falsum. Nam Augustinum inter & Semipelagianos numquam quæsitum fuit, utrum scientia futuribilem supponeret in Deo aliquod decretum actu existens, an non. Nunquam enim Augustinum inter & Semipelagianos controversia fuit de objecto scientiæ futuribilis, aut de modo, quo hæc scientia objectum suum attingit. S. igitur Augustinus non ipsam futuribilem scientiam, quam ipse tam expresse agnovit, sed quod longè aliud est, abusum reprobavit.

Porro in duobus casibus abusi sunt Semipelagiani scientia futuribilis, & 1. quidem ut rationem redderent, quare è duobus parvulis, quorum unus cum baptismo, alter verò sine baptismo moritur, unus à Deo fuerit prædestinatus ad gloriam, & alter non fuerit: ad hanc enim interrogationem respondebant, teste Prospero in sua ad Augustinum epistola, *tales perdi, talesque salvari, quales futuros illos in annis majoribus, si ad activam servarentur ætatem, scientia divina præviderit.* 2. Ut rationem redderent, quare Deus hoc tempore & non alio, his nationibus & non aliis voluerit Evangelium prædicari: respondebant enim ad hoc quæsitum, ut idem Prosper testatur ibidem, *quorum aliquando non misertus est (Deus) nunc autem misereatur, prævisos à Domino credituros (si nimirum illis prædicaretur Evangelium), & ad unamquamque gentem ita dispensata tempora ac ministeria magistrorum, ut exortura erat bonarum credulitas voluntatum; & eos quibus non est prædicatum Evangelium, & in infidelitate permanerunt, inexcusabiles esse, quippe qui & ad unius veri Dei cultum potuerint instrui intelligentia naturali, & Evangelium idèò non audierint, quia nec fuerant recepturi.*

At inquit. S. Augustinus has Semipelagianorum evasiones expovit, asserendo & probando scientiam futuribilem supponere decretum prædeterminativum, absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte objecti. *R.* hoc esse falsum. Et dico S. Doctorem primam evasionem refutare lib. de præd. Sanct. c. 12. ex verbis Apostol. Rom. c. 14. ubi de Apostolo hæc habet: *Ait enim: Omnes stabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum. Gessit, inquit, non adjunxit, vel gesturus fuit, &c.* Et c. 13. hac ratione, *Homines futura, quæ non sunt futura, proculdubio nulla sunt merita, & hoc videre facillimum est: hoc est, opera sive bona, sive mala, quæ futura essent, si futura esset aliqua conditio, sed quæ ipsa non sunt futura, quia conditio sub qua futuribilia sunt, non est futura, nullius in æstimatione prudenti considerationis sint in ordine ad penam, vel præmiu.* Et c. 14. hoc Sapientiæ textu, *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Ex quo sic argumetur: *Si judicarentur homines pro meritis sue vite, quæ non haberent morte præveniente, sed haberi essent, si viverent, nihil prodesset ei, qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, nihil prodesset eis*

qui lapsi moriuntur, si ante morerentur: Quod nullus dicere Christianus audebit. Et lib. de bono persever. c. 9. exemplo Tyrionum & Sidoniorum. Porro, inquit, *si etiam secundum facta, quæ facturi essent, si viverent, mortui judicantur, profectò quia fideles futuri erant isti, si eis cum tantis miraculis fuisset Evangelium prædicatum, non sunt utique puniendi: puniuntur autem.*

Secundam Semipelagianorum evasionem explodit lib. de bono perseverantiae c. 14. eodem exemplo Tyrionum & Sidoniorum, adjuncto Judæorum exemplo, qui, prædicato sibi Evangelio, non crediderunt; cum è contra Tyrii & Sidonii credidissent, si prædicatum illis fuisset Evangelium. Unde colligit, quòd aliis prædicetur Evangelium, aliis verò, qui fuerunt electi, item quòd ex his, quibus Evangelium prædicatur, alii credant, alii non credant, recurrendum esse ad beneplacitum divinum, seu ad gratuitum decretum absolutum & efficax, quo Deus alios ab æterno elegit, ut essent sancti & immaculati in conspectu ejus, alios verò non elegit. Unde aliis, qui non fuerunt electi, non prædicatur Evangelium, aut si prædicatur, non datur ut credant, quia non vocantur, quomodo illis aptum est, ut credant; aliis verò, qui fuerunt electi, & prædicatur Evangelium, & datur unde credant, quia vocantur, quomodo illis congruit, ut credant. Hinc, ut hoc loco ait S. Doctor, *nec illis (Tyriis & Sydoniis) profuit quòd poterant credere (potentia ad actum reducenda, si prædicaretur illis Evangelium) quia prædestinati non erant, ab eo, cujus inscrutabilia sunt iudicia, & investigabiles viæ: nec istis (Judæis) obfuisse quòd non poterant credere (quia obfirmato animo id nolebant) si ita prædestinati essent, ut eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre.* Manserunt igitur Tyrii & Sidonii in sua infidelitate, sicut & in sua incredulitate Judæi, & ita nec illi, nec isti ad Christum venerunt per fidem, quia nec illis, nec istis fuit datum ut venirent, & non fuit datum, quia nec illi, nec isti in ipso Christo ante constitutionem mundi electi & prædestinati fuerunt, ut essent sancti & immaculati in conspectu ejus. Nam, ut hoc eod. loco ait S. Doctor, *neminem venire ad Christum, nisi cui fuerit datum, & eis dari, qui in illo electi sunt ante constitutionem mundi, proculdubio confiteor, à quo non surdis auribus cordis eloquium divinum auribus carnis auditur.* Quid ergo perpetuò opponit Semipelagiani S. Doctor? Gratuitum illud decretum absolutum & efficax, quo ab æterno propter merita Christi voluit absolute & efficaciter, non omnes, sed certos tantum homines à massa perditionis liberare per sanctitatem finali perseverantia contummandam; & consequenter non omnibus, sed certis tantum hominibus præparavit absolutè & efficaciter beneficia, quibus certissimè liberabuntur, & quæ cum in tempore accipiunt, credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant, Deo illis donante unde credant, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant, Deo, inquam, illis donante per beneficia illa in æternitate præparata, & in tempore collata planè gratuito & misericorditer. De decreto autem prædeterminativo, absoluto ex parte actus, & conditionato ex parte objecti, quod futuribilem scientiæ præsupponi volunt Thomistæ, vel per somnium S. Doctori unquam occurrisse, nunquam verisimiliter ostendere poterunt.

§. III.

Scientiam futuribilem independentem esse ab omni decreto actu existente, probatur ratione.

Nota 1. Saltem supponi potest non existere decreta, absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte objecti, quæ scilicet sunt de re aliqua ponenda, sub conditione à solo Deo pendente, qualia Thomistæ propugnant: cum enim ex hypothesi quòd existant, libere existant; ex hypothesi quòd existant, ita existant ut possent non existere. Quod autem sic existit, suppo-

supponi potest non existere, ut per se clarum est. Supponamus ergo ejusmodi decreta non existere.

Nota 2. In suppositione facta adhuc fieri possunt hæc propositiones conditionales contradictoriæ, quarum una est vera, & altera falsa determinatè: Si Christus prædicasset Tyriis, pœnitentiam egissent; Si Christus prædicasset Tyriis, pœnitentiam non egissent. 1. Autem quod possint hæc propositiones fieri etiam in suppositione facta, negari non potest: eorum enim possibilitas, sicut & rerum aliarum quarumlibet possibilitas, est independens ab omni decreto divino actu existente. 2. Quod sint conditionales contradictoriæ, patet ex eo quod una præcisè negat, quod altera affirmat. 3. Quod ex illis una sit vera, & altera falsa determinatè, facile probatur. Nam Tyrii, Christo apud illos prædicante, vel re ipsa pœnitentiam egissent, vel non egissent: sicut enim non datur medium inter pœnitentiam agere & non agere, ita nec inter pœnitentiam agere & non agere, Christo prædicante. Ergo Tyrii re ipsa, Christo apud illos prædicante, vel egissent vel non egissent pœnitentiam. Si primum. Prima propositio vera est determinatè, secunda verò falsa. Si secundum. Secunda determinatè vera est, falsa verò prima. Ergo ex duabus propositionibus in suppositione facta formatis, una est vera determinatè, altera determinatè falsa.

Nota 3. In suppositione facta adhuc habetur contingens & libera futuribilitas actuum, puta pœnitentiæ, vel impœnitentiæ Tyriorum. Hoc ipso enim habetur contingens & libera futuribilitas actus, quod verè dici potest, Esset, si esset aliqua conditio; futururus esset, si futura esset aliqua conditio: nam actum esse futuribilem, aliud non est, quam illum verificari posse propositionem hujusmodi, quia hoc ipso habet veritatem objectivam, quæ est ejus futuribilitas. Atqui in suppositione facta, ut patet ex not. 2. de alterutra, hoc est, de pœnitentia vel impœnitentia Tyriorum, verè dici potest, pro tempore antecedente adventum Christi: Esset, si poneretur talis conditio; futura esset, si futura esset talis conditio. Ergo in suppositione facta adhuc habetur contingens & libera futuribilitas pœnitentiæ vel impœnitentiæ, seu voluntatis vel involuntatis agendi pœnitentiam in Tyriis, Christo etiam apud illos prædicante, & eadem signa faciunt, quæ fecit coram Judæis. Quod autem hic dicitur de pœnitentia vel impœnitentia Tyriorum, manifestum est convenire innumeris actibus liberis creaturarum rationalium possibilibus sub aliqua conditione possibili, & ad rem pertinente: tam enim de illis, quam de pœnitentia vel impœnitentia Tyriorum, verè dici potest in suppositione facta: Essent, si poneretur talis conditio; futuri essent, si futura esset talis conditio. His præsuppositis,

Sic breviter arguuntur. Objectum scientiæ futuribilium non dependet à dictis decretis. Ergo nec ipsa scientia. Consequenter patet. Nam scientia futuribilium non potest dependere à dictis decretis, nisi ratione objecti sui. *Prob. ant.* Objectum scientiæ futuribilium est contingens & libera futuribilitas actuum creaturæ rationalis. Atqui hæc futuribilitas à dictis decretis nullatenus dependet. Ergo, &c. Maj. patet ex dictis superius. *Prob. min.* Illud nullatenus dependet à dictis decretis, quod adhuc habetur, etiam si supponatur decreta illa non existere. Atqui ex not. 3. etiam si decreta illa supponantur non existere, adhuc habetur contingens & libera futuribilitas actuum creaturæ rationalis. Ergo, &c.

Obj. Ut aliquis actus sit objectum scientiæ futuribilium, debet extrahi è statu meræ possibilitatis ad statum aliquem futuritionis. Sed hoc fieri non potest sine decreto aliquo actu existente, & proportionato futuritioni ad quam actus transfertur, proindeque conditionato ex parte objecti. Ergo nullus actus liber potest esse objectum scientiæ futuribilium sine decreto absoluto ex parte actus, & conditionato ex parte objecti. *R. n. maj.* Itaque gratis requiritur hic ab advertariis aliqua extractio seu translatio ab

uno statu ad alterum, ad hoc ut aliquis actus liber sit objectum scientiæ futuribilium: adhuc enim sufficit mera veritas objectiva, vi cuius de actu aliquo verè dicitur, vel dici potest: Esset, si poneretur talis conditio; futururus esset, si futura esset talis conditio. Hanc autem veritatem objectivam ab omni decreto actu existente planè independentem esse, demonstravimus.

Dices. Actus futuribilis habet actualitatem aliquam, quam non habet actus merè possibilis. Item Deus aliter se habet ad actum futuribilem, quam ad actum merè possibilem. Item actus futuribilis, quæ talis, est in potestate Dei. Item actus futuribilis habet actu futuritionem aliquam. Atqui horum nihil verum esse potest sine aliqua translatione ab uno statu ad alterum, facta per decretum aliquod actu existens, & huic translationi proportionatum. Denique sine tali decreto nullus actus esset potius futuribilis, quam non futuribilis. Ergo, &c.

R. ad 1. N. Nam actus futuribilis supra actum merè possibilem solum habet objectivam aliquam veritatem, quatenus de illo verè dici potest: Non solum posset esset, sed etiam esset, si poneretur talis conditio; non solum posset esse futururus, sed etiam re ipsa futururus esset, si futura esset talis conditio. *R. ad 2. N.* Nam solum Deus aliter se habiturus esset ad actum futuribilem, quam ad merè possibilem, si futura esset conditio, sub qua actus futuribilis est. *R. ad 3.* Actum futuribilem, quæ futuribilem, non magis esse in potestate Dei quam actum merè possibilem, quæ merè possibilem. Uterque enim, quæ talis, dicit meram veritatem objectivam, ab omni actuali decreto independentem. *R. ad 4. N.* Aliud enim est futuribilitas, & aliud futuritio etiam conditionata, exactè loquendo; nec actus futuribilis, quæ talis, futururus est, si volumus exactè loqui, sed solum futururus esset sub aliqua conditione. Unde operam perunt & oleum advertarii, vim facientes in hac voce, futuritio. *R. denique ad 5. N.* Nam ad hoc ut actus sit potius futuribilis, quam non futuribilis, sufficit ut de illo verè dici possit: Futurus esset, si futura esset talis conditio; nec de illo nisi falsò dici possit: Futurus non esset, si futura esset talis conditio. Ad hoc autem ut unum verè, alterum non nisi falsò possit dici, nullum prærequiritur decretum actu existens, ut demonstratum est.

Obj. 2. Debet admitti medium, in quo Deus cognoscat actus contingentem & liberè futuribiles. Sed medium illud non potest aliud esse, quam decretum prædeterminativum, absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte objecti. Ergo, &c. *R. 1.* Intellectum divinum non indigere medio, in quo, aut quo cognoscat contingentem & liberam futuribilitatem actuum; quia cum sit infinite perfectus in genere intelligentis, ex se summè completus & determinatus est ad cognoscendum omne cognoscibile, hoc ipso præcisè, quod terminare potest cognitionem aliquam, vel, quod idem est, hoc ipso præcisè, quod habet veritatem objectivam; actus autem contingentem & liberè futuribilis, quæ talis, habet veritatem objectivam; quæ talis enim habet unde verificet hanc propositionem: Esset, si poneretur hæc conditio; futururus esset, si futura esset hæc conditio. Ergo hoc ipso quod actus aliquis est contingentem & liberè futuribilis, sublato, aut saltem præciso omni medio, in quo, vel quo cognoscatur, summa necessitate cognoscitur ab intellectu divino.

R. 2. Ad assignandum medium, in quo contingens & libera futuribilitas actuum à Deo perfectissimè cognoscatur, nos non indigere decreto prædeterminativo: habemus enim essentiam divinam, in qua visa ut continente æquivalenter & eminenter species impressas omnium veritarum tam formalium, quam objectivarum, Deus perfectissimè cognoscit non solum omnia quæ facere potest, omnia quæ facit aut factura est in aliqua temporis differentia creatura rationalis, sed omnia quæ faceret sive factura esset sub quacumque conditione possibili, ad rem pertinente. Quod

Quod sic demonstratur. Nihil melius esse, vel cogitari potest in representando, quam essentia divina; sicut nihil melius esse, vel cogitari potest in cognoscendo, quam intellectus divinus: neque essentia divina minus perfecta est in ratione representantis, quam intellectus divinus in ratione intelligentis. Ergo essentia divina representare potest & representat intellectui divino, ipsam perfecte comprehendenti, quamlibet creaturam rationalem secundum ea omnia, secundum quae cognosci potest, & exigit cognosci ad perfectam sui comprehensionem. Atqui quaelibet creatura rationalis cognosci potest, & ad perfectam sui comprehensionem exigit cognosci non solum secundum ea omnia quae facere potest, quae facit aut factura est, sed etiam secundum ea omnia, quae factura esset & faceret sub quacumque conditione possibili, ad rem pertinente. Ergo essentia divina representare potest, & representat intellectui divino quamlibet creaturam rationalem etiam secundum ea omnia, quae factura esset & faceret sub quacumque conditione possibili, ad rem pertinente. Hoc argumentum plane consentaneum est doctrinae SS. Patrum, superius suo loco exposita.

Dices. Essentia divina non est necessario connexa cum contingenti & libera futuribilitate actuum. Ergo non potest esse medium, in quo cognito cognoscatur. *R.* Essentiam divinam, ut est principium & causa rerum omnium, non esse necessario connexam cum futuribilitate actuum liberorum, at esse, ut continet in se aequivalenter & eminenter species veritatum omnium, non quidem necessitate absoluta, sed hypothetica, quatenus ex hypothesi quoddam actus aliquis liber sit futuribilis sub aliqua conditione, essentia divina non potest non esse aequivalenter & eminenter species illius ut contingenter & liberè futuribilis sub tali conditione. Quamvis igitur essentia divina, ut est principium & causa rerum, non possit esse medium, in quo cognito cognoscatur futuribilitas actuum liberorum, at potest esse, & est, in quantum est aequivalenter, & eminenti quodam modo species representativa omnis omnino veritatis. Ex dictis apparet Deum duplici modo cognoscere contingentem & liberam futuribilitatem actuum, indirectè scilicet & mediatè in essentia sua ut objecto, ratione prius cognito, & directè ac immediatè in se ipsis, hoc est, cognitione independenti ab omni medio sive in quo, sive quo ad hanc futuribilitatem terminata.

ARTICULUS V.

Utrum scientia futuribilium independens ab omni decreto actu existente, repugnet doctrinae S. Thomae.

RESPONSIO.

Hæc scientia non modò non repugnat, sed è contrà omnino consentanea est doctrinae S. Thomae.

Prob. Nam S. Thomas hic q. 14. a. 9. in O sic loquitur: Deus scit omnia, quaecumque sunt quocumque modo. Nihil autem prohibet ea, quae non sunt simpliciter, aliquo modo esse. Simpliciter enim sunt, quae actu sunt; ea vero quae non sunt actu, sunt in potentia vel ipsius Dei, vel creaturae; sive in potentia activa, sive in passiva; sive in potentia opinandi, vel imaginandi, vel quocumque modo significandi. Quaecumque igitur possunt per creaturam fieri, vel cogitari, vel dici, & etiam quaecumque ipse facere potest, omnia cognoscit Deus, etiam si actu non sint. Et pro tanto dici potest, quod habet etiam non entium scientiam. Et a. 14. in O. Cum formare enunciabilia sit in potestate intellectus nostri; Deus autem scit quicquid est in potestate sua vel creaturae; necesse est quod Deus sciat omnia enunciabilia, quae formari possunt. Ex his autem Argumentis sic. Ex S. Thomae omnes propositiones, quae ab homine vel Angelo formari possunt, cognoscuntur à Deo cum sua veritate vel falsitate.

Atqui, ut art. precedenti demonstratum est, etiam supponendo nulla dari decreta absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte objecti, adhuc ab homine vel Angelo formari possunt propositiones conditionales contradictoriae de contingenti & libera futuribilitate actuum cujuscumque creaturae rationalis, quarum una est determinatè vera, & altera falsa determinatè. Ergo ex principiis S. Thomae, etiam supponendo nulla dari decreta absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte objecti, qualia admittunt Thomistae, adhuc Deus cognoscit veritatem vel falsitatem innumerarum propositionum conditionalium contradictoriarum de contingenti & libera futuribilitate actuum creaturarum rationalium. Ergo ex principiis S. Thomae etiam in suppositione facta, Deus cognoscit quid quaelibet creatura rationalis actura vel non actura esset sub quacumque conditione possibili, ad rem pertinente. Ergo ex principiis S. Thomae Deus habet scientiam futuribilem, independentem ab omni decreto actu existente.

Confirm. Idem Doctor Angelicus 3. p. q. 1. a. 5. ad 2. refert hæc S. Augustini verba ex lib. de bono perlev. c. 9. *Nunquid possumus dicere Tyrrios & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent: cum ipse Deus attesteretur eis, quod acturi essent magne humilitatis penitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum?* tunc sic prosequitur S. Doctor responsionem adaptans, *Proinde ut ipse Augustinus solvens subdit (c. 11.) sicut Apostolus ait, non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, qui his, quos praevidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus voluit subvenire: aliis autem non subvenit, de quibus in sua praedestinatione occultè quidem, sed aliud iuste iudicavit.* Deus igitur, ex S. Thomae post S. Augustinum, ratione prius quam quidquam absolute & efficaciter statueret circa salutem hominum lapsorum, hoc est, ratione prius quam ex hominibus lapsis alios eligeret & praedestinaret, alios verò negativè reprobaret, sciebat quinam inter homines essent credituri, si praedicaretur illis Evangelium: cum hanc habuerit scientiam non solum circa eos, qui re ipsa crediderunt, quia Deus efficaciter voluit illis Evangelium praedicari; sed etiam circa alios, qui nunquam crediderunt, Deo illis non procurante efficaciter praedicationem Evangelii, eo quod eos negativè reprobavit occulto quidem, sed iusto iudicio. Unde Deus ex S. Thomae post S. Augustinum, 1. praescivit, quinam, praedicato sibi Evangelio, essent credituri, quinam verò non. 2. Etiam ex iis, quos praescivit, audito Evangelio, credituros fuisse, aliquos ex pura misericordia elegit & praedestinavit, ceteros occulto sed iusto iudicio neglexit, & negativè reprobavit. 3. Iis, quos elegit & praedestinavit in aeternitate, procuravit auditum Evangelii in tempore; iis verò quos non praedestinavit, Evangelii praedicationem non procuravit. 4. Et ita ex iis, qui audito Evangelio credituri fuerant, aliqui crediderunt, ceteri non crediderunt. Ergo S. Thomas post S. Augustinum agnovit in Deo scientiam actuum contingentem & liberè futuribilem, independentem ab omni decreto actu existente.

Nec juvat dicere S. Thomam agnovisse in Deo talem scientiam independentem ab omni decreto absolute tum ex parte actus, tum ex parte objecti, non verò independentem ab omni decreto actuali conditionato ex parte objecti. Nam 1. hoc esset efficaciter probandum. Quod tamen nunquam fiet. 2. Cum scientia illa conditionalis, quam cum S. Augustino agnovit S. Thomas, versetur non solum circa eos, qui non credunt; quia Evangelium non audiunt, sed etiam circa illos, qui re ipsa credunt, quia audiunt Evangelium, proindeque circa illos, quos Deus ad credendum elegit & praedestinavit, & circa quos prater efficacem & ex omni parte absolutum illud decretum, quo fuerunt electi, non nisi nugatorie admitteretur decretum aliud conditionatum ex parte objecti in sensu Thomistico, & ratione prius existens; planè

planè confitendum est conditionalem illam scientiam, quam agnovit S. Thomas post S. Augustinum, independentem esse ab omni prorsus decreti actuali, etiam conditionato ex parte objecti in sensu Thomistico: nisi ramen dicatur, quòd absolutum est, esse partim dependentem, & partim independentem; dependentem, quatenus est actuum futuribilium tantum; independentem, quatenus est actuum futuribilium & futurorum.

Obj. 1. S. Thomas hic q. 14. a. 9. in O. supra citato, dividit adequatè scientiam divinam in scientiam simplicis intelligentiæ & scientiam visionis. R. scopum S. Doctoris loco citato esse, non ut exactam scientiæ divinæ divisionem tradat, sed ut probeat Deum habere scientiam non entium, hoc est, rerum quæ non existunt pro ulla temporis differentia, sive possint existere in rerum natura, sive non possint nisi habere esse objectivè in intellectu creato; & ita præter ea omnia, quæ aliquando existunt, & quæ Deus dicitur scire per scientiam visionis, esse infinita alia, quæ, licet nunquam sint, tamen sciuntur à Deo per scientiam, quæ idcirco dicitur simplicis intelligentiæ. Hoc autem ut ostendat, ponit principium, ex quo manifestè eruitur scientia futuribilium independens ab omni decreto actuali.

Obj. 2. S. Thomas variis locis docet propositionibus de futuro contingenti nullam inesse determinatam veritatem, quia nimirum futurum contingens non habet esse determinatum in sui causis liberis. Sic in 1. sent. dist. 38. q. 1. a. 5. ad 2. ait: *Futurum contingens non est determinatè verum, antequam fiat, quia non habet causam determinatam.* R. in doctrina S. Thomæ, liberum absolute futurum considerari posse dupliciter, scilicet secundum esse, quod habet in sua causa proxima, considerata in actu primo, & secundum esse, quod habet pro aliqua temporis differentia, quæ nondum est, sed erit. Si primo modo consideratur, non est determinatè futurum, sed indeterminatè tantum, vel, ut loquitur S. Doctor, contingenter tantum, quia causa ejus proxima, in actu primo sumpta, planè indifferens est ad ejus productionem, vel non productionem pro tempore consequente, & ita de illo considerato secundum esse, quod habet in causa sua proxima, in actu primo sumpta, solum dici potest: Poterit esse, poterit non esse: fortassis erit, fortassis non erit. Sub hac igitur prima consideratione nec est, nec potest esse determinatè verum ut futurum; sicut nec est, nec potest esse determinatè verum ut non futurum. Est igitur aliquid indeterminatum, & merè contingens. At verò si consideretur secundo modo, hoc est, secundum esse, quod habet in se, vel si vis, secundum esse, quod habet per causam suam proximam, in actu secundo sumptam, pro tempore aliquo consequente, est determinatè futurum, & de illo determinatè verum est dicere, Erit; quia de illo determinatè verum est dicere pro tempore consequente, Est, causa est ad illud ponendum determinata, causa ponit illud. Hinc propositio de futuro libero, non est determinatè vera quoad nos, qui præsentia tantum vel præterita libera scire possumus, futura verò non novimus, nisi conjecturaliter: at est determinatè vera non solum quoad se, sed etiam quoad Deum, cujus scientia mensuratur æternitate, & cujus proinde intellectui ab æterno & pro æterno omnes temporum differentia, & omnia, quæ in iis sunt, tam præsentia sunt, quam si ab æterno & pro æterno existerent realiter.

Hæc doctrina, quæ non juvat adversarios, facile aptatur futuribili libero, & independenti ab omni decreto actu existente. Itaque futuribile liberum potest dupliciter considerari, nempe secundum esse, quod habet in causa sua proxima, in actu primo sumpta, & secundum esse, quod haberet in se, vel si vis, per causam suam proximam, in actu secundo sumptam, si poneretur aliqua conditio ad rem pertinens. Primo modo consideratum, non est determinatè futuribile, sed indeterminatè; vel si vis,

non est magis futuribile, quam non futuribile; aut contra, etiam supponendo, quòd futura sit conditio, quia causa ejus proxima, in actu primo sumpta, etiam supponendo conditionem exituram esse, planè indifferens est ad opposita. Unde de illo sic considerato dici tantum potest: posset esse futurum, posset non esse futurum: fortassis esset futurum, fortassis non esset futurum. At si secundo modo consideretur, jam est determinatè futuribile, & de illo determinatè verum est dicere: Futurum esset, si futura esset talis conditio; quia de illo determinatè verum est dicere, Esset pro tali tempore, causa illud poneret pro tali tempore, si pro tali tempore poneretur conditio. Hinc propositio de futuribili libero non est quidem determinatè vera quoad nos, qui in causa proxima futuribilis liberi, sumpta in actu primo, & in conditione, nihil videmus, quod sit necessariò connexum cum ejus futuribilitate: sed est determinatè vera non solum quoad se, sed etiam quoad Deum, qui sicut omnia, quæ aliquando sunt, videt esse pro ea temporis differentia, pro qua sunt; ita omnia, quæ aliquando essent, si poneretur aliqua conditio, non potest non videre, quòd essent, posita conditione, pro ea differentia temporis, pro qua re ipsa essent, posita conditione. Deus enim omne verum, sive existat, sive non, sive exiturum sit, sive non, sive sit necessariò connexum cum aliquo existente aut exituro, sive non, tum directè & immediatè in se ipso, tum indirectè & mediatè in essentia sua, tanquam in speculo intuetur.

Obj. 3. S. Thomæ principium est, quòd rem esse futuram, sit denominatio extrinseca, petita ex actuali determinatione causæ ad ejus productionem. R. hoc ad rem impertinenter objici. Nam aliud est rem esse futuram, & aliud esse futuribilem. Nam, ut jam toties dictum est, futuribile non est futurum, sed solum esset futurum, si futura esset aliqua conditio. Sed ut hanc S. Thomæ doctrinam intelligas:

Nota 1. Juxta Doctorem Angelicum aliquid potest dici futurum duobus modis, nempe futurum in causa, & futurum in eventu, ut observant insignes Thomistæ. Futurum in causa dicitur, quod habet causam determinatam ad ejus productionem pro tempore consequente. Futurum in eventu, vel, quòd idem est, in se, dicitur illud, quod non existit tempore præsentis, sed quod existit, & ponitur à sua causa tempore consequente. Unde aliquid esse futurum in causa, nihil aliud est, quam causam ejus esse determinatam ad ejus productionem, & ita futurum rei in causa, est extrinseca denominatio, petita à causa, determinata ad productionem rei, quæ dicitur futura. Aliquid verò esse futurum in se, seu in eventu, nihil aliud est, quam illud non existere tempore præsentis, sed existere & poni à causa sua tempore consequente; & ita futurum rei in eventu est denominatio intrinseca rei, petita ab entitate rei, quæ non est tempore præsentis, sed est, & à causa sua ponitur tempore consequente. Sed

Nota 2. Juxta S. Doctorem alia sunt determinatè futura in eventu, & non determinatè futura in causa; alia determinatè futura in causa, & non determinatè futura in eventu; alia denique futura determinatè in causa & in eventu. Nam quod habet causam determinatam ad illud ponendum tempore consequente, inimpedibiliter, est determinatè futurum in causa & in eventu, & ita duplicem habet futuritionem, intrinsecam scilicet & extrinsecam. Quod habet causam determinatam ad illud ponendum tempore consequente, sed impedibiliter, est determinatè futurum in causa tantum, si causæ ejus impediatur, & sic habet solum futuritionem extrinsecam. Quod denique non habet causam determinatam ad illud ponendum tempore consequente, sed tamen existit, & liberè ponitur à causa tempore consequente, est determinatè futurum in eventu tantum, & solum habet determinatam futuritionem intrinsecam. Tale est omne & solum liberum absolute futurum. Hæc autem doctrina facile accommodatur futuribili.

Nam

Nam futuribile necessarium inimpedibiliter, est futuribile in causa & in eventu. Futuribile necessarium sed impedibiliter, & ejus causa impediretur, est tantum futuribile in causa. Denique futuribile liberum, de quo solo hic agitur, est tantum futuribile in eventu; unde solum habet futuribilitatem intrinsecam; quia, posita conditione, non haberet causam determinatam ad illud ponendum, sed tamen existeret; & liberè poneretur à causa.

Obj. 4. S. Thomas docet scientiam Dei esse priorem rebus. Item scientiam Dei non mensurari à rebus quantum ad veritatem & certitudinem, sed potius esse illarum mensuram & regulam. Item scientiam liberorum absolute futurorum fundari in decreto prædeterminativo. Item non ideo res fieri à Deo, quia futuræ sunt; sed ideo futuras esse, quia sciuntur à Deo. Item prædestinationem certam esse non solum certitudine præscientiæ, sed etiam certitudine causalitatis, Denique secundum principia S. Doctoris, debent admitti decreta absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte objecti.

R. ad 1. S. Thomam loqui de rebus aliquando existentibus, quibus prior est non solum scientia simplicis intelligentiæ, sed etiam scientia futuribilium, quæ ratione prior est, quàm decreta, quæ præsupponuntur existentie rerum. *R. ad 2.* S. Thomam hoc tantum velle, quod intellectus divinus ex se habeat, ut verè & certò repræsentet res omnes, ut sunt, sic ut veritatem & certitudinem cognitionum suarum non accipiat ab objectis cognitis, sed utramque sibi debeat. Sed quid inde? Nam scientia futuribilium non magis ab objecto suo veritatem & certitudinem suam emendicat, quàm v.g. præscientia futurorum à suo. *R. ad 3.* hoc dici quidem, sed hætenus non esse probatum. *R. ad 4.* S. Doctorem loqui de futuris absolute. Unde quod ibi dicit, convenit scientiæ futuribilium. Nam libera absolute futura non sunt causa scientiæ futuribilium, sed è contra scientia futuribilium est causa liberorum absolute futurorum, dirigendo decreta divina. *R. ad 5.* Prædestinationem certam esse certitudinem causalitatis, quia est efficax preparatio beneficiorum, quibus certissime liberantur electi. Quod autem hæc beneficia sint auxilia prædeterminantia, nullibi docet S. Thomas. *R. ad ult.* N. de decretis absolutis ex parte actus, & conditionatis ex parte objecti, quæ sunt de re aliqua ponenda sub conditione pendente à solo Deo, & nunquam ponenda. Nam de ejusmodi decretis nihil planè apud S. Doctorem legitur, De illis tamen hic agitur.

Obj. 5. S. Thomas explicans concordiam libertatis nostræ cum divinis decretis, recurrit ad infinitam efficaciam divinæ voluntatis, attingentis non solum substantiam, sed etiam modum libertatis in nostris operationibus. Item reducit contingentiam & libertatem rerum ad voluntatem divinam, tanquam ad primum liberum. *R. ad 1.* nos cum S. Doctore infinitam illam divinæ voluntatis efficaciam agnoscere: sed addo, secundum mentem ejus, divinam voluntatem eatenus infinite efficacem esse, quatenus habet in potestate sua plura & plura in infinitum media, de se repudiabilia, quibuscum tamen potest nos ad operandum movere efficaciter & infallibiliter, quia per scientiam futuribilium certam & infallibilem novit Deus, futurum esse ut operemur, si futurum esset, ut per talia media ad operandum moveremur. Hoc aperte significat S. Doctor hic q. 14. a. 8. in O. ubi sic ait: *Effectus voliti à Deo eveniunt contingenter, quia Deus voluit eos contingenter evenire, & ideo contingentes causas ad eos preparavit.* Quare ergo actus liberi liberè fiunt? Juxta S. Thomam non solum fiunt, sed etiam liberè fiunt, quia Deus voluit eos non solum fieri, sed etiam liberè fieri; unde preparavit illis causas contingentes, hoc est, causas, à quibus fiunt quidem, sed ita ut possint ab illis non fieri: per causas enim contingentes manifestè intelligit causas, cum opposito effectus, ad quem destinantur, compossibiles, ita ut possint esse causæ illæ, & non ope-

rari effectum, ad quem destinantur.

R. ad 2. S. Thomam reducere contingentiam & libertatem rerum in voluntatem divinam, tanquam in primum liberum, quia sicut causæ liberè non sunt, nisi quia Deus liberè vult eas esse; ita nec liberè operantur, nisi quia Deus liberè vult eas liberè operari, & liberè movere eas ad operandum, quomodo eis convenit non solum ut operentur, sed etiam ut operentur sine intrinseca determinatione ad unum. Hoc autem nec præstat, nec præstare potest Deus, nisi adhibendo media de se repudiabilia & conjungibilia cum opposito ad quod dantur, sed quibuscum per certam & infallibilem scientiam prævidet causas liberas esse operaturas. Quæ scientia non est alia, quàm scientia futuribilium, ab omni decreto actu existente independens. Hanc porro scientiam deinceps Scientiam Mediam vocitabimus, ob rationem infra dandam, & de ea sub hoc nomine questione sequenti, quam contra Jansenistas institimus, & alios ab illis specie tenus dissentientes, quæremus, 1. Utrum detur non solum pro statu naturæ innocentis, sed etiam pro statu naturæ lapsæ. 2. Utrum defensores ejus sint Pelagiani aut Semipelagiani. 3. Ad quid sit utilis. Sit itaque

Q U Æ S T I O V.

De Scientia Media.

ARTICULUS I.

Utrum detur in Deo Scientia media, non solum pro statu naturæ innocentis, sed etiam pro statu naturæ lapsæ circa actus salutare.

R E S P O N S I O I.

Datur in Deo Scientia media. *Prob.* Nam Scientia media est scientia futuribilium, independens ab omni decreto actu existente. Non aliam scientiam nomine scientiæ mediæ intelligimus. Atqui dari scientiam futuribilium, ab omni decreto actu existente independentem, Quæst. præcedenti accuratè probatum est. Ergo datur scientia mediæ, qua scilicet Deus antecederet ad omne decretum actu existens, certò & infallibiliter cognoscit, quid quælibet creatura rationalis liberè ageret, vel non ageret sub quacumque conditione possibili, ad rem pertinet. Sed sit

R E S P O N S I O II.

Datur in Deo scientia mediæ pro statu naturæ innocentis, non solum circa actus malos, sed etiam circa bonos & salutare.

Habemus hic consentientes Jansenistas, & alios, qui se Augustinianos Theologos nominant, & facile probatur. Nam pro statu innocentie, in quo homo plena & integra libertate fruiturus erat, absque omni determinatione antecedenti sive ad malum per concupiscentiam, sive ad bonum per gratiam: si in eo conderetur, independenter ab omni decreto actuali, verum fuit dicere: Si Adamus tali modo tentaretur, seipsum determinaret ad peccandum; si Adamus tali modo illustraretur, se ipsum determinaret ad bene operandum, &c. Atqui Deum nulla veritas latere potest. Ergo Deus independenter ab omni decreto actuali prævidit certò & infallibiliter, Adamum contingenter & liberè peccaturum esse in statu innocentie, si tali modo tentaretur: Adamum contingenter & liberè opus bonum & salutare facturum esse in statu innocentie, si tali modo illustraretur: Adamum contingenter & liberè perseveraturum esse in statu innocentie, si tali modo adjuvaretur, &c. Atqui hæc prævisio neque est scientia simplicis intelligentiæ, quæ est tantum de possibili, aut necessario futuribili; neque scientia visionis, quæ supponit existentiam